

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PROVINCIAE TURONENSIS

ACTA ET DECRETA  
CONCILII  
PROVINCIAE TURONENSIS


IN RHEDONENSI CIVITATE

CELEBRATI

ANNO DOMINI MDCCCXLIX

PONTIFICATUS PII PAPÆ NONI IV

A SANCTA SEDE APPROBATA



TURONIBUS

TYPIS MAME, TYPOGRAPHI

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. ARCHIEPISCOPI ET CLERI

---

M DCCC LI

# DECRETA

CONCILII

## PROVINCIAE TURONENSIS.

---

### DECRETUM INDICATIONIS.

FRANCISCUS - NICOLAUS - MAGDALENA MORLOT, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Turonensis Archiepiscopus, Reverendissimis fratribus Episcopis, necnon Venerabilibus Decanis et Capitulis, Abbatibus et Conventibus nostræ Turonensis Provinciæ, salutem in Domino.

Ecclesiam suam pretiosissimo Christi Domini nostri sanguine redemptam, in hac lacrymarum valle procellis indesinenter jactatam, et præsertim in diebus nostris tantis doloribus afflictam, consolari non desinit, sustentare ac tueri ipse Deus omnipotens, Pater misericordiarum totiusque consolationis, qui, vel innumeras inter hominum iniquitates, nunquam ita irascitur ut misericordiæ obliviscens, a nobis clementiæ oculos avertat.

Quot et quanta, Venerabiles Fratres, imprimis ab initio asperi istius seculi, illius divini præsidi argumenta, in nostris potissimum Galliis effulserint, nullus est qui non agnoscat et miretur: at quid mirabilius excogitari potuisset, quid gratitudine erga Deum nostrum dignius, quam illa Conciliorum instauratio nuper tam insperata, nunc facilis et in promptu nobis facta?

Gratias igitur ei qui de tantis periculis nos toties eripuit et eruit! qui pro sua ineffabili misericordia dat nobis ut in illos sacros consessus venire possimus, de quibus apprime dixerunt Patres nostri: *Nihil utilius esse ad fidem propagandam, nihil suavius ad corrigendos excessus, nihil solidius ad populos intra terminos antiquorum revocandos*; et adhuc: *Si concilia desint, necesse est ut erroribus et vitiis omnia repleantur.*

Quapropter, Venerabiles Fratres, divino favore freti, Beatæ Mariæ semper Virginis suffragiis innixi, necnon et omnium Sanctorum patrocinio confidentes de quorum ope et auxilio gaudent præsertim Ecclesiæ nostræ; obtemperantes insuper, cum exultatione, desiderio beatissimi ac dilectissimi Patris nostri Pii PP. IX in litteris datis Cajetæ (17<sup>o</sup> Maii 1849) expresso; consultis quoque reverendissimis fratribus nostris Episcopis comprovincialibus, nostrum provinciale Concilium in Ecclesia et Civitate Rhedonensi, ad tertium idus novembris proxime venturi, diem scilicet natalem gloriosissimi Pontificis beati Martini Episcopi Turonensis et Confessoris, incipiendum, prosequendum et, Do-

mino juvante, absolvendum, indicimus, convocamus atque decernimus, juxta sacrosanctæ et œcumenicæ synodi Tridentinæ decretum ad fidem catholicam tuendam, ecclesiasticamque disciplinam fideliter et integre conservandam aut etiam instaurandam, ad corrigenda seu reformanda quæ minus recta videbuntur.

Omnes igitur et singulos Reverendissimos in Christo Fratres, Cenomanensem, Andegavensem, Nannetensem, Rhedonensem, Briocensem, Corisopitensem et Venetensem Episcopos comprovinciales, nostra archiepiscopali auctoritate, requirimus, hortamur et admonemus, ut ad dictum provinciale Concilium Rhedonibus celebrandum, per se, aut per procuratores legitime deputatos, intra præscriptum conveniant.

Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ, aliaque Capitula Cathedralia noverint se esse convocanda et reipsa, per præsentem litteras, convocari ad provincialem Synodum; ita ut, de Episcoporum consensu, si opus fuerit, congregati Canonici unum aut alterum ex gremio ad Concilium habeant delegatum.

Item Venerabiles Abbates Monasteriorum, videlicet: de Solesmis, Ordinis sancti Benedicti, de Portu salutis, de Bellofonte, de Mellareio, de Thymadeuc, Ordinis Cisterciensis Beatæ Mariæ de Trappa, sciant se ad Provinciale Concilium personaliter invitari.

Dignentur itaque Reverendissimi Fratres nostri præsentis decreti copiam facere tam suis Canonicis quam respectivis Abbatibus.

Interea, Venerabiles Fratres, Deum totius bonitatis

fontem et sapientiæ originem enixe deprecemur, et a piis Christi fidelibus quam plurimum exorari provideamus, quatenus nobis omnibus in tam salubri proposito prosequendo adesse, et cordibus nostris Spiritum Sanctum suum immittere dignetur, ut, illo adjuvante, ea decernamus quæ sanctæ Ecclesiæ gloriæ et utilitati, animarumque saluti magis expedire videbuntur.

Datum Turonibus, in nostro archiepiscopali palatio, sub signo sigilloque nostris et Archiepiscopatus nostri secretarii generalis subscriptione, septimo idus octobris, in Natali SS. Martyrum Dionysii ac Sociorum, anno 1849.

† F. N. ARCHIEPISCOPUS TURONENSIS.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi  
DD. Archiepiscopi Turonensis,

P. A. VINCENT, can. secr.

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM PAPAM

PIUM IX.

BEATISSIME PATER,

Statim ut prima spes affulsit instaurationis Conciliorum provincialium quorum celebrationi tamdiu obstiterunt et rerum humanarum vicissitudines innumeræ, et, adversus Ecclesiæ libertates et jura, plurimorum diffidentiae, ad tantum bonum assequendum nil intentatum relinquere voluerunt Provinciæ Ecclesiasticæ Turonensis Metropolitanus et comprovinciales Episcopi.

Dei igitur totius consolationis præsidio innitentes, qui inter hujusce ætatis procellas, Ecclesiam suam singulari providentia confovere non desinit, Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes necnon et beatorum Pontificum, omniumque Sanctorum quorum memoria clero hujus provinciæ populoque carior est; amplectentes etiam cum humili reverentia, amore filiali, obsequio fideli, Paternitatis Vestræ adhortationes ad grande opus illud et admodum desiderabile suscipiendum, in civitate Rhedonensi, tertio idus novembris nuper elapsi, convenerunt cum Metropolitano supradicti Episcopi; atque per tres hebdomadas, in

majori urbis istius seminario, vitam communem agentes, orationi, studio et collationibus de rebus ecclesiasticis, de iis quæ ad decorem fidei catholicæ, honorem Ecclesiæ, firmitatem disciplinæ et ad salutem animarum pertinent, assiduam navaverunt operam. Adstiterunt delegati a Capitulis, Ecclesiæ scilicet Metropolitanæ et omnium Ecclesiarum Cathedralium: vocati sunt et adfuerunt Monasteriorum Abbates. Omnia denique a sacris canonibus statuta de istis sanctis cœtibus convocandis, congregandis ac moderandis, observari sedulo fuit provisum; et ita omnibus in unum congregatis coram Domino, prævio ductore assistente Spiritu Sancto, suffragantibus piis fidelium orationibus, ingenti tum cleri exultantis, tum populi devoti concursu, cuncta prospere et feliciter evenerunt.

Nunc vero, Beatissime Pater, restat ut, pro filiali erga Sanctitatem Vestram reverentia, promptaque obedientia, quæ unanimi consensu confecerunt decreta in memorabili Synodo Rhedonensi, Vestræ Beatitudinis iudicio et arbitrio subjiciant Metropolitanus Turonensis et Episcopi ejusdem provinciæ, sicuti libentissime et humillime subjiciunt, se profitentes esse paratos quidquid summo et dilectissimo Pontifici de iis decernere placuerit, ultro acceptare.

Dum autem, Beatissime Pater, debitum illud corde magno et animo volenti adimplent, non possunt quin iterum atque iterum dolorem significant quo afficiuntur ob ea quæ iis temporibus luctuosis, contra Sedem

Apostolicam et tam præcellentem Pontificem propter malitiam hominum fuerunt attentata.

At spem magnam magis ac magis reponunt in Christo Jesu, Pastorum Principe, in Beatæ Mariæ præsidio, in precibus totius mundi fidelium; illud confidentes quod D. N. J. C. qui B. Petro claves regni cœlorum tradidit, mox reducet Pontificem exulem (si exulare potest ubique terrarum Christi Vicarius), urbi reddet parentem optimum et orbi per longos annos illum servabit incolumem.

Ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti pro seipsis, sui que cleri et fidelium omnium sibi concreditorum nomine, paternam benedictionem, protectionem et dilectionem suppliciter efflagitant,

Sanctitatis Vestræ,

Humillimi, obedientissimi et devotissimi  
servi et filii.

- † F. N. Archiepiscopus Turonensis.
- † CAROLUS, Episcopus Venetensis.
- † J. B. Ep. Cenomanensis.
- † JOSEPHUS MARIA, Ep. Corisopitensis.
- † JACOBUS JOANNES, Ep. Briocensis.
- † GODEFRIDUS, Ep. Rhedonensis.
- † GULIELMUS, Ep. Andegavensis.
- † ALEXANDER, Ep. Nannetensis.

Die xv<sup>a</sup> Januarii MDCCCL.

## PII PAPÆ IX

LITTERÆ

SUPER ACTIS CONCILII PROVINCIALIS TURONENSIS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS,

FRANCISCO NICOLAO Archiepiscopo Turonensi,  
CAROLO Episcopo Venetensi, JOANNI BAPTISTÆ Episcopo  
Cenomanensi, JOSEPHO MARIE Episcopo Corisopitensi,  
JACOBO JOSEPHO Episcopo Briocensi, GODEFRIDO Episcopo  
Rhodonensi, GULIELMO Episcopo Andegavensi,  
et ALEXANDRO Episcopo Nannetensi.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Summo quidem gaudio Nobis fuerunt, Venerabiles Fratres, vestræ litteræ die xv proximi mensis januarii datæ, ac singularis vestræ erga Nos, et Apostolicam Sedem, fidei, pietatis et obsequii plenissimæ. In ipsis enim litteris omni ex parte elucet episcopalis cura et sollicitudo qua mirifice animati fuistis ad sacram totius Ecclesiasticæ Turonensis Provinciæ Synodum concelebrandam, ubi primum vobis datum fuit tam salutare opus denuo peragere, quod

tristissimis rerum ac temporum vicibus jamdiu fuerat intermissum. Itaque divino auxilio freti, ac potentissimo sanctissimæ Dei Genitricis Immaculatæ Virginis Mariæ patrocinio suffulti, nihil potius, nihil antiquius habuistis quam proximo mense novembri in Rhodonensem civitatem convenire ibique ex sacrorum Canonum præscripto ejusmodi provincialem agere Synodum, in qua collatis consiliis et studiis ea statuenda curastis quæ luctuosissimis hisce præsertim temporibus valeant ad fidei depositum in vestris Diocesibus integrum inviolatumque custodiendum, ad Ecclesiæ causam propugnandam, ad ecclesiasticam disciplinam asserendam, atque ad honestatem, pietatem, religionem, in vestris populis magis magisque fovendam, excitandam, eorumque spiritualem salutem totis viribus procurandam. Ac pergratum Nobis fuit ex ipsis vestris litteris noscere hujusmodi vestrum conventum ingenti tum exsultantis cleri lætitiæ, tum devoti populi frequentia fuisse peractum, omniaque prospere feliciterque evenisse. Itaque dum Vobis de hac re vehementer gratulamur, Venerabiles Fratres, plane non dubitamus quin pro egregia vestra religione et episcopali sollicitudine nihil unquam intentatum sitis relicturni, quo majori usque alacritate Catholicæ Ecclesiæ causam, jura, libertatem strenue defendere, et fidelem populum curæ vestræ commissum a tot monstrosis et undique grassantibus opinionum commentis, pestiferisque doctrinis avertere, eumque magis in dies sanctissimis divinæ nostræ Religionis præceptionibus

imbuere, atque erudire possitis. Jam vero quod attinet ad Provincialis vestri Concilii Acta, quæ Nostro, et Apostolicæ Sedis iudicio subijcere properastis, congruum de illis statim accipietis responsum, vix dum Acta ipsa ex more fuerint recognita. Ne desinatis, Venerabiles Fratres, assiduas fervidasque Deo Optimo Maximo adhibere preces ut Ecclesiam suam sanctam ubique gentium, ubique terrarum, novis ac splendidi-  
 oribus triumphis exornet et augeat. Nos certe in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione haud omitemus ab ipso clementissimo Domino humiliter exposcere, ut omnium charismatum copiam super Vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles Vobis con-  
 crediti declinent a malo, et faciant bonum, atque ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque hujus divini præsidii auspicem et præcipuam Nostræ in Vos benevolentiam pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam et intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus vestræ vigi-  
 lantiam commissis peramanter impertimur.

Datum Neapoli in Suburbano Portici, die x martis, anno MDCCCL. Pontificatus nostri anno quarto.

PIUS PP. IX.

---

## EMINENTISSIMI CARDINALIS MAII

LITTERÆ

SUPER APPROBATIONE DECRETORUM CONCILII  
 PROVINCIALIS TURONENSIS.

---

REVERENDISSIMO DOMINO ARCHIEPISCOPO TURONENSI.

PERILLUSTRIS ET REVERENDISSIME DOMINE UTI  
 FRATER,

Gratissimæ fuerunt Eminentissimis Patribus Sacræ Congregationis Tridentinarum legum interpretis et vindicis, tum litteræ quas tu, Amplissime ac Reverendissime Præsul, sanctissimo Domino nostro die xv præteriti mensis januarii dedisti una cum cæteris Provincie istius Episcopis, tum Acta Provincialis Concilii in Rhedonensi civitate superiore novembri celebrati, quæ Sanctitas Sua, de more, eidem S. Congregationi expendenda et recognoscenda commisit.

Perspexerunt enim Patres Eminentissimi ex litteris et ex Concilii decretis reverentiæ, obedientiæ ac filialis amoris sensus erga Apostolicam hanc Sedem, etiam ob susceptam temporalium ejus jurium defensionem, ac erga Sanctitatem Suam cujus præsertim examini et ju-



dicio tam peractæ Synodi, quam illarum quæ in posterum celebrabuntur, decreta ante publicationem sub-  
 jicere statuistis. Laudarunt singularem tuam ac tuorum  
 Coepiscoporum pastoralementem vigilantiam in defendendis  
 Catholicæ Religionis dogmatibus, ac condemnandis  
 iis præsertim erroribus monstrosisque pravarum opi-  
 nionum commentis quæ luctuosissimis hisce tempori-  
 bus, cum magno improvidæ præcipue juventutis ac  
 indoctorum damno, grassantur.

Neque hic constitit sollicitudo Synodi: nam post pro-  
 pugnatum ac custoditum fidei depositum, curas suas  
 convertit ad errantes in salutis viam reducendos, ad  
 Religionem et pietatem in omnium animis, magis ma-  
 gisque fovendam et augendam.

His omnibus accesserunt saluberrima de ecclesiastica  
 disciplina decreta quibus omnes in sortem Domini  
 vocati graviter monentur et valde inflammantur, ut  
 propriæ vocationis semper memores, et illustria S.  
 Martini vestigia sectantes, omnem suam operam in  
 vineam Domini excolendam, et in animarum salutem  
 promovendam studiosissime conferant. Itaque debitas  
 easque summas tibi, Reverendissime Domine, tuisque  
 suffraganeis laudes pro hujus modi præclare gestis,  
 tribuunt S. Congregationis Patres Eminentissimi, qui  
 omnia Summo Pontifici subjecerunt.

Si quid autem minus caute expressum, aut clarius  
 exprimendum in decretis ipsis excidit, quomodo id  
 emendari oporteat ex folio hic adjecto intelliges, Præ-  
 clarissime Præsul; et interim ad omnia, quæ in tui

commodum ac provinciæ istius utilitatem fieri poterunt  
 paratissimum me profiteor, ac tibi ex animo fausta  
 omnia precor a Domino.

Amplit. tuæ uti Fr. stud.

Ad. Card. MAIUS, *præfectus*.

A. TOMASETTI, *secretarius*.

Romæ, 17 septembris 1850.

## DECRETA

DE APERIENDA SYNODO,

DE MODO VIVENDI IN CONCILIO

ET

DE PROFESSIONE FIDEI.

## DECRETUM DE APERIENDA SYNODO.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Nos, FRANCISCUS NICOLAUS MAGDALENA MORLOT, Archiepiscopus sanctæ Ecclesiæ Turonensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ad honorem beatissimæ, immaculatæ, semperque Virginis Mariæ Dei Genitricis, et beati Petri Apostoli, hujus Ecclesiæ Patroni, ad Ecclesiæ Catholicæ decorem decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum nostrorum, hoc ipso die mensis novembris, initium fieri, atque adeo factum esse Concilii provincialis quod, nostra metropolitana auctoritate, indiximus, denuntiavimus et promulgavimus.

## DECRETUM DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

Nos, FRANCISCUS NICOLAUS MAGDALENA MORLOT, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Turonensis,

Reverendissimos Episcopos, Fratres nostros, qui in hoc adsunt concilio, obsecramus per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem Spiritus Sancti, ut omnes pietatis opes, omnesque Episcopalium virtutum facultates quarum ubertate circumfluunt, in commune ad spiritualia hujusce provinciæ commoda simul conferant.

Imprimis vero illius memores Beati Jacobi Apostoli sententiæ, quod omne datum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui postulantibus a se sapientiam dat omnibus affluenter; sanctissimis precibus conciliares istas actiones, quas hodierno die aggressi sumus, adjuvare studeant; ut quod Spiritus Sanctus incepit, hoc ipse perficiat.

Et siquidem omni tempore oportet Episcopos irreprehensibiles esse, et omnimodæ sanctitatis exempla præbere, tunc vero maxime cum Synodum celebrent, ubi pie religioseque vivendi leges cæteris de eorum consilio præscribentur.

Omnes etiam clericalis ordinis viros monemus, atque per viscera misericordiæ Dei obtestamur, ut vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate, om-

niumque virtutum ornamento præluceant, atque Concilio suis orationibus et sacrificiis divinum impetrent auxilium, mentibus nostris gratiæ lumen exposculantes; ut optima suscipiamus consilia, salutaria sanciamus, et sancita fideliter implere valeamus.

Præterea civitatis Rhedonensis incolas, quorum et totius provinciæ gratia, conventum hunc celebramus, paterno animo adhortamur, ut christianæ pietatis operibus et officiis sese dedant impensius, ut sobrie, caste et juste vivere satagant, eleemosynas in pauperes abundantius effundant, frequentius pœnitentiæ sacramento utantur, sacram synaxim peragant, et ita sibi nobisque uberrimos gratiæ fructus consequantur.

Commendamus denique ab omnibus fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro Ecclesia sancta Dei, pro beatissimo Papa nostro Pio, pro Episcopis in hac Synodo congregatis, pro cunctis populis christianis, et pro omnibus hominibus, ut omnes in hac caritate radicati, pacem foveant, sectentur justitiam, quæ sunt Christi sapiant, et quærant unanimes.

Iterum vero reverendissimos Episcopos, Fratres nostros obtestamur, ut omnes ad gloriam Dei et animarum salutem unice conspirantes, cum modestia et lenitate animi, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune servato ordine, proferant opiniones in actionibus, sive privatæ illæ sint, sive publicæ.

Tandemque inanem gloriam, contentiones, jurgia, Episcoporum cœtu exulare oportet. Omnes igitur in spiritu humilitatis accedant, superiores sibi invicem

arbitrantes: quod ut feliciter assequamur, in qualicumque ordine quisque compareat et consedeat, salva illius jura decernimus.

Quoniam autem ad hujus Concilii progressionem nonnulli adjutores et ministri requiruntur, constituimus:

PROMOTORES: Henricum Ambrosium Bernier, vic. g<sup>lem</sup> Andegavensem, Hippolytum Chevereau, vic. g<sup>lem</sup> Cenomanensem;

SECRETARIOS: Edmundum Franciscum Carolum Bruchet, Archipresb. Turonensem, Carolum Petrum Vrignand, vic. g<sup>lem</sup> Nannetensem, Josephum Jégou, vic. g<sup>lem</sup> Corisopitensem;

NOTARIOS: Petrum Marcum Le Breton, canon. Briocensem, Joannem Mariam Le Joubioux, canon. Vennetensem, Joannem Jacobum Bourassé, canon. Turonensem;

MAGISTROS CÆREMONIARUM: Antonium Desnos, can. Rhedonensem, Æmilianum Raguideau, can. ad hon. Nannetensem.

Deinde sub pœnis a jure statutis inhibemus, ne quis Episcoporum, aut eorum qui provinciali huic Synodo interesse debent, ex civitate Rhedonensi discedere præsumat, nisi discessus causa a Concilii Patribus cognita, a nobis approbata, ac legitimo deinde Procuratore suffecto.

## DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI.

Cum fides initium sit et fundamentum salutis, atque inter omnia pastoralis muneris officia illud primum ac potissimum esse debeat, ut fides catholica quam sancta Romana Ecclesia colit ac tenet, incorrupta in hac provincia, sinceraque semper vigeat; nos in hac nostra Synodo provinciali hinc præcipue exordiendum esse duximus, ut eandem sanctam catholicam fidem quam corde credimus, una oris professione profiteamur. Quocirca sacri Concilii Tridentini decretis insistentes, Professionem fidei Pii IV Pontificis Maximi constitutione acceptam atque promulgatam, a nobis et reverendissimis Coepiscopis, cæterisque in hoc Concilio insidentibus, palam et publice emittendam decernimus.

## FORMA PROFESSIONIS

## FIDEI CATHOLICÆ, APOSTOLICÆ ET ROMANÆ.

Ego N... firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur: videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Et ex Patre natum ante omnia

secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et Unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi seculi. &. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non

omnia singulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio iterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione, recipio et admitto.

Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi: fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ

semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et refinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo.

[Ego, N..., hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentì sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere, et confiteri; atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N... spondeo, voveo, ac juro, super hæc sancta Dei Evangelia.]

# CONCILII RHEDONENSIS

## DECRETA.

### DECRETUM PRIMUM.

#### De divina Ecclesiæ constitutione et de hierarchia ecclesiastica.

Cum divino assistente Spiritu, adimus, in nomine Domini specialiter aggregati (1) ut quis sit status, quæ necessitates nostræ Turonensis Provinciæ inquiramus, effusas, ante omnia, Deo gratias agimus, qui Ecclesiam diuturnis tempestatibus jactatam, præsentis semper auxilio tuetur ac sospitat. Ipsius enim Providentiæ tribuendum est quod Ecclesia stet inconcussa, et perpetua unitate vigeat, cum videlicet nulli aut populorum æstus, aut perturbationum politicarum vices, aut pravi hæreticorum impiorumque hominum conatus, ecclesiastici regiminis ordinem ac jura divinitus constituta, immutare vel minime valuerint. Omnes gratanti animo agnoscant, ac mirentur sic impletas per seculorum seriem promissiones Christi, qui Apostolos in orbem universum emittens, infirmos sane, inermes et omni humana virtute destitutos, dixit: *Sicut*

(1) Pontif. Rom.

*misit me Pater, et ego mitto vos: euntes ergo docete omnes gentes.... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hanc autem divina ordinatione constitutam ad fideles regendos et docendos, Pastorum hierarchiam, summa veneratione colere, ac filiali amore eo arctius amplexari, hisce diebus debemus, quod eam sibi periclitanti necessariam mundus ipse persentire videatur. Cum enim populi procellis quatiantur, ac in ea animorum superbientium confusione, jam vix ullam hominis, in rebus humanis, auctoritatem revereantur; cumque omnia, ne exceptis quidem primariis principiis, incerta reputentur, firma spe confidimus, Ecclesiam quæ, velut olim arca, mediis his fluctibus invehitur, populis in salutem adfuturam fore, si quando ad illius maternam auctoritatem respexerint, ac per illam, salubres doctrinas, quibus solis e naufragio eripi possunt, acceperint ac didicerint.

### DECRETUM II.

#### De Summo Pontifice.

In supremo ordinis ecclesiastici gradu, evangelica doctrina et apostolicæ traditiones Pontificem Romanum sublimem demonstrant. Profitemur secundum fidem catholicam, et Conciliorum generalium defini-

tiones « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum  
 « Pontificem in universum orbem primatum tenere,  
 « et ipsum Romanum Pontificem successorem esse  
 « B. Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi  
 « Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium  
 « Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi  
 « in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi Uni-  
 « versalem Ecclesiam a D. J. C. plenam potestatem  
 « traditam esse (1). »

Ad illam igitur Sedem, in qua fides prædicatur, et servatur unitas, *necesse est propter potentiorum illius principalem, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles* (2). Huc, ut verbis utamur Innocentii I, *referendæ sunt quæstiones, super anxiiis præsertim rebus, ut inde quæ sit tenenda sententia* (3) noverint omnes. Nihil siquidem satius iudicamus quam ut *regulæ formam secuti quam toto semper orbe servatam* novimus, *arcana Apostolicæ Sedis consulamus, unde velut de natali suo fonte, aquæ sanctæ doctrinæ cunctæ procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latice capitis incorrupti manant* (4).

Quocirca iisdem principiis innixi quæ a Patribus nostris accepimus, ac posteris integra, Deo juvante, trademus, Summorum Pontificum constitutiones dog-

(1) Concil. Flor.

(2) Irenæus adv. Hær., lib. iii, c. 3.

(3) Inn. I. Ep. Ad Patres Con. Milev. D. Cous. tom. I. col. 896.

(4) Inn. I. Ad Con. Cart.

maticas omnes, illas præsertim quæ his ultimis temporibus prodierunt, accipimus, sicuti et constitutiones quæ universalem Ecclesiae disciplinam respiciunt, illis nos omnino subjicientes ea, qua par est, filiali obedientia. Profitemur enim ac declaramus eas absque sæculari sanctione esse pro omnibus obligatorias, tanquam credendorum normam, et conscientiae regulam. Eadem observantia, juramenti memores a nobis in consecratione præstiti, quod nunc toto cordis affectu renovamus, *mandata apostolica, sive ad hujus Provinciae disciplinam, sive ad nostram personalem agendi rationem referantur moderandam, humiliter recipiemus, quam diligentissime exequemur, totis viribus observabimus, et faciemus ab aliis observari* (1).

Tandem Sedis Apostolicæ iudicio proponere ac submittere statuimus omnia ac singula hujus Synodi decreta, ut nostrorum antecessorum vestigia secuti, reverentiam Summo Pontifici debitam exhibeamus, cunctique Christi fideles agnoscant, suos Pastores per omnia consentire cum illo Supremo Pastore, cui a D. N. J. C. ovium simul et agnorum, Episcoporum scilicet et fidelium cura commendata est.

Quoniam autem luctuosis hisce rerum adjunctis, non defuerunt qui ditionem temporalem spirituali Summi Pontificis potestati annexam, legi evangelicæ adversari docere veriti non sint, pravam istorum doctrinam, jam in conciliis damnatam (2), de novo repro-

(1) Pontif. Rom.

(2) Conc. Const. contra errores Wicelæ, pr. 36-39.

bamus ac damnamus; nosque etiam prorsus alienos declaramus ab iis qui eo usque non devenientes, satius jam nunc fore jactitant si a spirituali Summi Pontificis potestate, temporalis potestas divelleretur. Cum nostris quippe antecessoribus conclamamus « Romanæ urbis « aliarumque terrarum concessam ditionem quo liberior et tutior potestatem apostolicam toto orbe exerceat, non tantum Sedi Apostolicæ, sed etiam toti « Ecclesiæ gratulamur, votisque omnibus precamur « sacrum principatum omnibus modis salvum et incolumem esse. »

### DECRETUM III.

#### De Episcopis.

Romano Pontifici proxime accedunt, in divina Ecclesiæ hierarchia, Episcopi.

Norunt omnes Dominum nostrum, cum Beatissimo Petro Ecclesiam universalem regendam commisisset, alios etiam Apostolos elegisse, quos ejusdem Sacerdotii participes effecit: in quorum persona, constans est SS. Patrum traditio Episcopis a Christo dictum fuisse: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes... Ecce ego vobiscum sum... usque ad consummationem seculi* (1). Unde,

(1) Mat., 28, 19, 20.

ut ait Concilium Tridentinum (1), in Apostolorum locum successerunt, *positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.*

Hac Pastorum auctoritate innixa, Ecclesia perfecta unitate coalescit. Petri cathedræ firmiter consociati Episcopi ad eam sacerdotes fidelesque, mutua conjunctione, colligant, ita ut si quis ab eorum parte ac jurisdictione deficiat, is ordinem divinitus constitutum gravissime perturbet. Sciant ergo fideles, Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo: et si quis *cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse*, ut ait S. Cyprianus (2). Meminerint etiam sacerdotes non solum Episcopos ab ipsis summo honore et reverentia habendos esse, et *quasi animæ parentes suscipiendos*, prout monet S. Hieronymus (3), sed etiam arctiori obedientia solemniter in ordinatione promissa, se devinciri. Caveant igitur ne supra eorum principatum se extolant, et eorum actus temere judicent. « Inde enim, » ait idem Cyprianus (4), schismata, et hæreses obortæ « sunt, et oriuntur, dum Episcopus, qui unus est « Ecclesiæ præses, superba quorundam præsumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur. »

Cum igitur tale sit vinculum unitatis quo suis Episcopis plebs christiana, Episcopi autem Summo

(1) Sess. 23, ch. 4.

(2) S. Cyprianus ad Horent.

(3) Epist. ad Nepot.

(4) S. Cyprian., ibidem.



Principi sacerdotum, Vicario Christi adunantur, ut merito a sanctis Patribus dictum fuerit *unum* atque *indivisum Episcopatum esse, cujus a singulis in solidum pars tenetur* (1), non mirum quod Romani Pontifices assidue invigilaverint ne Episcoporum jura ullo modo læderentur. Episcopos Fratres suos, et Coepiscopos nominarunt, veluti in partem sollicitudinis apostolicæ vocatos atque assumptos, nec unquam passi sunt illorum venerabili auctoritati quidquam derogari.

Has traditiones servantem et memores præsertim definitionum Concilii Tridentini, et Summorum Pontificum, imprimis bullæ Pii VI, quæ incipit: *Auctorem fidei* (2), declaramus Episcopos a sancta Sede institutos superiores esse sacerdotibus et fidelibus, cum sacro ordine, tum ea qua præcellunt auctoritate docendi, regendi et gubernandi Ecclesiam sibi commissam; ipsis jus competere condendi statuta ad moderandam Diœcesis disciplinam, et judicandi causas spirituales quæ ad clericos seu fideles spectant, salva tamen quæ sacris Canonibus et Apostolicæ Sedi debetur reverentia et obedientia.

Verum Episcopi, dum sua jura proclamant ac tuentur, officia etiam agnoscunt, et libenti animo sua faciunt hæc Concilii Turonensis verba: « Quemad-  
« modum dignitate et prærogativa cæteros præcellunt,  
« iisque primi honores debentur, ita omnes vitæ  
« sanctitate ac morum integritate, strenua in exer-

(1) S. Cyp., *de Unitate Ecclesiæ*.

(2) Prop., 9, 10, 11.

« cendis suis officiis cura, sustinendisque suorum  
« Episcopatum, quæ angelicis humeris etiam formi-  
« danda sunt, oneribus, assiduis vigiliis, indefesso  
« labore, alacri studio, summa diligentia debent  
« superare, ac caute curare ne a recta vivendi via et  
« officii sui ratione deflectant: idcirco, juxta divi Pauli  
« consilium, esse eos volumus irreprehensibiles,  
« sobrios, suis gregibus invigilantes, tanquam pro  
« animabus eorum rationem reddituros (1). »

Visitent ergo quotannis, nisi legitima causa impediantur, notabilem aliquam suæ Diœcesis partem, ut, quantum fieri potest, plenam obtineant et rerum, et personarum notitiam. Invigilent speciali cura, non solum Seminariis in quibus educantur qui ecclesiasticis ministeriis sunt inservituri, sed et cæteris scholis. In iis enim pariter Episcoporum munus est sedulam dare operam ut utriusque sexus, etiam a tenera ætate, juvenes fidei rudimenta edoceantur, et ad pietatem, religionem, bonosque mores informentur (2).

Meminerint ad Episcopos spectare pauperum et miserabilium personarum paternam curam gerere (3). Vigili itaque sollicitudine procurent ut serventur et opere debito compleantur quæcumque foundationes, non solum in solamen et subsidium defunctorum, vel in gratiam Ecclesiarum et religiosorum Institutorum, sed etiam, pro posse suo, infirmorum et pauperum.

(1) Conc. Turon. ann. 1583.

(2) Conc. Narbon. ann. 1609.

(3) Conc. Rothomag. ann. 1584.

Tandem non negligent fabricarum constitutioni, et rectæ honorum redituumque administrationi, necnon sacrorum ædificiorum integritati, ornamento, atque suppellectilium conservationi providere.

—

#### DECRETUM IV.

##### De Metropolitano.

Etsi omnes Episcopi æquales sint ratione Ordinis, nonnulli aliis præcellunt ratione jurisdictionis.

Primum, nostris in Galliis, inter Episcopos, in unaquaque provincia, locum obtinet Metropolitanus, qui ex ecclesiastica et antiquissima dispositione, præficitur ut efficacius unitas foveatur et servetur disciplina.

Reverentiam igitur Metropolitano debent et libenti animo præstant Concilii Patres, agnoscuntque ipsum jurisdictione præesse Episcopis provinciæ; quæ quidem jurisdictio plura complectitur, imprimis: appellationem suscipere a sententiis Suffraganeorum, in casibus a jure determinatis; convocare provinciale Concilium; ei præsidere, invigilareque ne decreta illius negligentur; aliqua ex sedibus suffraganeis vacante, Ecclesiæ administrationi providere, si Capitulum infra octo dies non providerit (1); per totam

(1) Conc. Trid. sess. 24, 16.

provinciam, crucem præ se ferre, benedicere et in pontificalibus celebrare (1).

Quam maxime autem expedit ut inter Metropolitanum et Suffraganeos non solum intersit perfecta in Domino concordia, sed et commercium frequens et mutua, præsertim de rebus gravibus, consilia.

—

#### DECRETUM V.

##### De Capitulis Cathedralibus.

Perantiquam et venerandam Canonorum et Capitulum Cathedralium institutionem sincero affectu et honore debito prosequuntur Concilii Patres. Meminerunt enim Capitulum cum Episcopo unum corpus efficere, cujus membra Canonici, Episcopus vero caput constituitur. Unde honorantur Canonici supra cæteros clericos, et Capitulum ipsum præcedentia gaudet supra quodcumque aliud corpus ecclesiasticum.

Quamvis autem hodierna in Galliis capitulorum constitutio non sit juri antiquo omnino conformis, eorum nihilominus statuta, ipsis, virtute auctoritatis Apostolicæ per Cardinalem Legatum subdelegatæ, ab Episcopis data, necnon ab eodem Cardinali Legato sufficienter approbata, et aliunde per diuturni temporis usum confirmata, observanda esse declaramus, quoadusque

(1) Conc. Turon, 1583.

Sancta Sedes aliter statuerit, vel Episcopus virtute decreti præcitati, ea, aut proprio motu, aut prævio Concilii Provincialis iudicio, perspecta opportunitate, et attentis circumstantiis, requisito prius capituli consilio, immutaverit.

Cum igitur ut canonice erecta haberi debeant capitula, monemus nostrarum Cathedralium Canonicos, sicut eorum jura, ita etiam officia e sacrorum canonum regulis etiamnum esse metienda.

Inter eorum jura eminet jus assistendi per deputatos Concilio Provinciali, et, sede vacante, providendi administrationi diœcesis per unum aut plures vicarios capitulares infra octo dies constituendos.

Inter eorum officia: residentia, applicatio missæ conventualis quotidianæ pro benefactoribus, et psalmodia officii divini in choro.

Agnoscit quidem Concilium, attento parvo canonicorum numero aliisque circumstantiis, potuisse Episcopos, juxta facultates a Cardinali Legato concessas, canonicorum obligationem moderari circa quotidianam et integram in choro celebrationem: sed summo pere optat ut, rebus in melius conversis, tanti momenti munus expleri possit. Interim provideant Episcopi, ut pro majori christianæ plebis utilitate et ædificatione, canonici, quantum rerum circumstantiæ tulerint, ad minus bis in die, ante et post meridiem ad Ecclesiam Cathedralem conveniant, pro decantatione vel psalmodia saltem minorum Horarum, et Vesperarum cum Completorio.

## DECRETUM VI.

## De Concilio provinciali.

Quamvis Episcopi singuli, proprio jure, possint per statuta diœcesana convenienter regere plebem sibi commissam, antiquissima fuit Ecclesiæ consuetudo ut, certis temporum intervallis, haberentur omnium ejusdem provinciæ Antistitum conventus, quo facilius ecclesiarum commodis providere, et de bonis illarum spiritualibus deliberare valerent.

Quam consuetudinem per multa Ecclesiæ et Summorum Pontificum decreta variis temporibus sancitam, solemniter confirmavit Concilium Tridentinum, dum Metropolitanis, et illorum defectu, si legitime impediti fuerint, Coepiscopo antiquiori præscripsit, quolibet saltem triennio, Synodum in provincia cogi, quo Episcopi omnes et alii qui, de jure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur (1).

Nemini autem dubium esse debet quin Episcopi canonice sic congregati potestatem habeant, in omnibus quæ non reservantur Summo Pontifici, leges ferendi, vi propria per totam provinciam obligatorias.

Nos igitur tam sanctum et salubre institutum servare, et Synodorum Provincialium seriem infeliciter in-

(1) Conc. Trident., sess. xxiv, cap. 2. de Reform.

interruptam, quantum in nobis est, continuam ducere cupientes, hæc statuimus :

1° Deinceps, prout tulerit temporum opportunitas, Synodus Provinciæ singulis trienniis habebitur, in ea Provinciæ civitate quam DD. Metropolitanus, ascito Suffraganeorum consilio, elegerit et nominaverit.

2° Huic Synodo regulariter indictæ, omnes Episcopi personaliter, et, si legitime impediti fuerint, per procuratores ad hoc specialiter constitutos, interesse debent.

3° Convocabuntur Capitula, Ecclesiæ scilicet Metropolitanæ et Cathedralium, ut per unum aut alterum deputatum adesse valeant. Juxta morem pristinum invitabuntur, prout Metropolitanus cum suis Suffraganeis judicaverit expedire, Abbates Monasteriorum in Provincia existentium, necnon et alii viri scientia Scripturarum, sacræ Theologiæ ac Juris Canonici peritia commendabiles. « Norint autem Ecclesiarum Cathedralium procuratores, Abbates (si adsint) et alii qui-  
« cumque deputati, consultivam, non autem deliberativam in eadem Synodo se vocem habere (1). »

4° Ante Concilii inchoationem, Episcopi in sua quisque Diœcesi, preces indigent ad implorandum divinum auxilium, ut dignetur Deus Synodum dirigere et ad optatum finem cuncta perducere.

5° In celebranda Synodo, servabuntur regulæ a

(1) Conc. Narb. 1609. Rothomag. Tolos. Burdig. Turon.

Pontificali Romano et cæremoniali Episcoporum præscriptæ.

Ipsa autem absoluta, decretis, manu propria, tum Episcopi præsentis, tum Episcoporum absentium procuratores, et Vicarii Capitulares si, aliqua sede vacante, adsint, subscribent omnes, licet forte non in omnibus consenserint : quæ enim judicio majoris partis prævalent, censentur ab omnibus approbata.

6° Decreta tamen Synodi, antequam publicentur, submittentur Sedis Apostolicæ examini et recognitioni.

7° Si quæ tandem circa horum decretorum sensum oriatur difficultas, eam propria interpretatione solvendam non existiment fideles nec clerici; hujus vero explicationem noverint esse, usque ad futuram Synodum, cuique, in Diœcesi sua, Episcopo reservatam.

Si autem graviora et urgentiora sint dubia, ea Episcopus quisque ad Metropolitanum deferat, ut, cum Suffraganeorum assensu, opportune provideatur.

## DECRETUM VII.

**De Synodo diœcesana et de spiritualibus pro Clero exercitiis.**

Quis sit diœcesanæ Synodi scopus diserte sic exponit Concilium Turonense anni 1583 : « Cum sit Episcoporum muneris suos agnoscere, et præsertim eos

« qui, in suis Diœcesibus ecclesiasticis funguntur  
 « muneribus, maxime autem illos quibus animarum  
 « cura mandata est; sitque pastoralis sollicitudinis, pro  
 « rei christianæ utilitate, ab eis tam divinorum quam  
 « temporalium administrationis rationem exigere: sanxit  
 « Concilium ut Capitula.... et parœcialium ecclesiarum  
 « rectores..... aliique qui de jure vel consuetudine vo-  
 « cari, et Synodis Episcopalibus interesse debent vel  
 « consueverunt, anno quolibet diebus in quaque Diœ-  
 « cesi statutis, compareant, rerum quas administrave-  
 « rint, coram ipsis Episcopis rationem reddituri. »

Dolendum sane foret, per tot annos, Provinciam nostram tali instituto caruisse, nisi venerabiles antecessores nostri, quorum vestigia fideliter secuti sumus, notabilem, quotannis, cleri diœcesani partem adscivissent, non tantum eo fine, ut per seriem piorum exercitiorum spirituali cujusque bono consulerent, sed etiam ut facilius de Diœcesis universæ statu inquirerent, de corrigendis abusibus conferrent, monita darent, et decreta disciplinæ promulgarent. In his conventibus, Synodorum quidem ordinaria non servatur solemnitas, earum vero fructus omnes abunde obtinentur. Attamen magni facientes formas antiquas ad celebrandam Synodum in Pontificali Romano descriptas, libenti animo Synodum juxta illas habendam, indicent Episcopi Provinciæ, pro temporum et circumstantiarum opportunitate. Hæc itaque statuimus :

1° Quotannis habebuntur si pro tempore licuerit, in singulis Diœcesibus, conventus cleri diœcesani,

2° Quando celebrandam Synodum judicaverit Episcopus, fiet convocatio canonica. Porro sacri canones non tantum intendunt assistendi Synodo jus alicui tribuere, quam obligationem iis omnibus imponere quos, secundum jus vel consuetudinem, convocat Episcopus. Cumque aliunde numerus eorum qui curam habent animarum major sit quam ut omnes invitari possint, convocabuntur Canonici cathedralis Ecclesiæ, et inter eos qui curam animarum habent quicumque titulo inamovibili potiuntur, quibus adjungetur unus aut alter a quolibet districtu (gallice, *Canton*).

3° Si quis Episcopus vel in Synodo, vel in decursu exercitiorum spiritualium, cleri sententiam exposcat de statutis promulgandis, noverint omnes Episcopum ad id nulla lege teneri, nec ullis presbyteris competere suffragium decisivum. Si quis autem falsis doctrinis abductus, contrarium tenere et affirmare præsumpserit, reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in Synodis diœcesanis, ab Episcopo et parochis æqualiter pendere, ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus ac jussionibus Episcoporum, sciat se proferre doctrinam ab Ecclesia damnatam velut falsam, temerariam, episcopalis auctoritatis læsivam, regiminis hierarchici subversivam, faventem hæresi aerianæ a Calvino innovatæ (1).

(1) Const. Pii VI. *Auctorem fidei*, prop. 9.

## DECRETUM VIII.

## De Foro episcopali.

Aliis Episcopi officiis accedit ut sit ipse in spiritualibus iudex. Iudicium autem exercere potest sive per se, sive per ecclesiasticos prudentes viros, quibus ita delegat iudicandi facultatem, ut tamen a se non prorsus illam auferat, utpote muneri episcopali radicitus inherentem.

Instaurata per Concordatum anni 1801 in Galliis Ecclesia, cum jam potestas civilis officialitatibus, nec in forma procedendi, nec in testibus accersendis, nec aliter ullum præberet adiutorium, quin et illas et nomen ipsum repelleret, usus invaluerat, in omnibus fere Diocesisibus, ut quemadmodum in primævis ac aureis Ecclesiæ seculis, ipse iudicaret Episcopus clericorum causas spirituales. Usus ille necessitati temporum accommodatus, melius etiam, in nostris saltem regionibus, cum filiali sacerdotum obedientia ac erga Præsules fiducia concordabat. Sic Episcopus patrem plusquam iudicem se exhibebat; remoto strepitu iudicii, securius providebat ne infamaretur clericorum angelicus ordo, atque lenius, sub pii paternique silentii obtentu, presbyterorum culpis et vulneribus medebatur. Facilius etiam forsitan sic obsequebantur decessores nostri Tridentinæ Synodo, ita Episcopos

alloquenti : « Subditos tanquam filios et fratres diligant... quos si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia : cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio quam comminatio; plus caritas quam potestas. Sin autem, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est (1). »

Si ergo in præsentibus rerum publicarum adjunctis, Ecclesiæ bono et sacerdotalis ordinis decori servando melius providere iudicet Episcopus, dum paternæ justitiæ administrationem sibi ipsi retinet, nihil contradicit Rhedonensis Synodus.

Verum in hoc iudicandi officio, ob pietatem ac Cleri nostri bonos mores, rarius exercendo, sedulam navet ipse operam ad causam informandam; reo criminationum capita innotescant; illum benigne alloquitur Episcopus, ac eum in defensione non solum audiat, sed etiam timidum adjuvet et fiduciam ei ingerat. De cætero, non solus iudicet, sed circumsedentibus iis qui in administranda Diocesi, ipsi a consiliis sunt.

Quod si quis Episcopus, bene perpensa Diocesis suæ utilitate, satius existimet alteri delegare justitiæ munus in spiritualibus exercendum, officialitatem

(1) Conc. Trident., sess. XIII, c. 1.

constituat vel jam constitutam servet. At in re tanti momenti et, ut omnes agnoscunt, perdifficili, maxima prudentia utatur, sive in decernendo modum procedendi in reos, sive in statuendo naturam et quantitatem pœnarum, ubi jus commune deficit; sive in supplendo per opportuna media, depositiones testium, qui plerumque sese sistere renuent, nec cogi possunt; sive in providendo ne, auditorio omnibus vel multis patente, opprobrium ingeratur Religioni, infirmis scandalum oriatur, ac jurisdictioni civili detur occasio interveniendi in judiciis ecclesiasticis.

Maneat autem semper jus appellandi ab Episcopo ad Metropolitanum, et a Metropolitanano ad Sedem Apostolicam, in casibus a jure determinatis.

Perseveret etiam in Episcopo jus decernendi *ex informata conscientia*, juxta Canonum sanctiones.

## DECRETUM IX.

De Studiis ecclesiasticis et præsertim de Seminariis.

— De Collationibus ecclesiasticis.

Juxta Concilii Tridentini mentem, qui *ecclesiasticis ministeriis, Deo volente, sunt inservituri*, eos oportet a teneris annis fovere et sollicitudine quam maxima educare (1). Ideo Galliarum Episcopi quædam Semi-

(1) Conc. Trident., sess. xxiii, cap. 18.

naria, unum videlicet majus, et unum aut alterum minus, sua quisque in Diœcesi, jampridem erigenda curaverunt. Ea nunc benigno Dei omnipotentis auxilio, stant et ubique vigent, *ad ordinem Sacerdotalem apud nos servandum et propagandum pernecessaria, et supra modum utilia* (1).

Cum autem omni tempore, et his præsertim diebus nostris, duo potissimum in sacerdotibus requirantur, morum scilicet integritas, et veritatis scientia quam falsæ seculi scientiæ opponant; quatenus quisque Christi sacerdos virtutis simul et doctrinæ quasi ornameto duplici, medios inter homines præfulgeat; vehementer exoptant et monent Concilii Patres in Seminariis sedulo servari, et, si opus fuerit, roborari regulas quibus juvenes ad sinceram informantur pietatem et ad studia quam plurimum incitentur; ac etiam statuunt quædam ad clericorum educationem sive in minori, sive in majori Seminario apprime conducentia, decernere.

Et quia emenso scholasticorum exercitiorum curriculo, magni interest quemcumque sacerdotem nec a studendo cessare, nec in virtutibus deficere, sed e contra, quantum sacri ministerii sinunt officia, assidue versari in iis quæ adeptus est servandis et augendis, visum est Patribus, ad ampliores et uberiores doctrinæ ac institutionis ecclesiasticæ fructus efficiendos, nonnulla mandare :

(1) Conc. Turon. 1583.

1° *De Minoribus Seminariis.*

Viros igitur diligenter eligat Episcopus, sicuti doctrina pollentes, ita virtute et moribus eminentes, quos in Seminario variis præponat muneribus.

Et hæc quidem non intelligantur solum de professoribus proprie dictis, sed de his omnibus, qui cum præsentent juvenibus, eos vel studio vacantes, vel etiam ludis indulgentes, continua sollicitudine informare, ac regere tenentur. Ex hac enim indefessa vigilantia constat morum custodiam, correctionem indolis, studiorumque profectum maxime pendere.

Id vero primum inter alia providendum est, ut nonnisi accuratissime selecti, juvenes in Seminario admittantur.

Quapropter satagant parochi ut pueros, vel adolescentulos reperiant, pietate, egregia indole, facilique ingenio præditos, quos maturius a seculi contagiis arceant, et caritate paterna custoditos, in Seminarium puros piosque deducant. Et magistris illud sit in mente, non tanti esse momenti ut quisvis discipulus scientiam et litteras ediscat, quam ut ejus informentur animus et mens; imo si ex ea parte deficiat educatio, ipsi parum, ex litteris humanis, utilitatis in posterum accesserit.

In scholis ea teneatur ratio studiorum quæ jam diuturna temporis experientia, approbata est. In varias classes dividantur alumni, et ita gradatim litterarum curriculum emetiantur.

Oportet autem ut, inter studia, primum locum obtineat Religionis scientia, omnibusque diligentissime ministretur, modo tamen diverso et singulorum ætati accommodato.

Maximam curam impendant in addiscendis et cognoscendis linguis veteribus, et speciatim lingua latina, quæ sanctæ matris Ecclesiæ perpetuo usu consecrata et catholicæ traditionis interpret, ad scientiam ecclesiasticam aditus est quasi necessarius. In qualibet schola, si fieri possit, non omittantur scriptores ecclesiastici, dum profani explanantur. Hi quidem sæpius forma insigniores, illi semper pie vivendi regulam præbentes, et quidquid in profanis est inane, veræ sapientiæ documentis salubriter corrigentes. Nedum tamen antiquis idiomatibus incumbentes patriam linguam negligant alumni, hujus principiis a pueritia magis ac magis studeant; paulatimque allaborent ut ea recte ac eleganter et loqui et scribere valeant.

Docendæ historiæ una cum geographia professor addicatur: id enim scientiæ genus, in se sacrorumque studiorum respectu admodum utile, hodiernis temporibus eo amplius excolendum est, quo a pluribus cœvis scriptoribus, in odium Religionis fuerit adulteratum.

Mathematicis initientur alumni; et scientiarum naturalium quarum notitia in dies ubique diffunditur, non sint ignari.

At summopere curandum est hæc studia adeo multa et diversa, tanta discretionem ordinari, ut neque post-



ponatur quod præcipuum est, neque mens alumnorum potius opprimatur quam imbuatur. Præmiis, consiliis, piis adhortationibus, variisque incitamentis utantur præceptores, quo alacrior in studiis excitetur æmulatio.

Erga discipulos suos sese gerant ut animæ parentes plusquam scientiæ magistros, seque existiment in locum illius magistri cœlestis succedere, qui, dum viveret in terris, pueros in sinum advocabat, et amplexabatur, et benedicebat eis, dicens: *Sinite parvulos venire ad me*. Cujus exempli pie memores, alumnorum infantiam, juventutemque curent ac revereantur, et in omnibus mansuetudinis et gravitatis moderamine quodam utentes, Seminarii studiorum annos suaves ac serenos efficiant.

Pauperum autem filios præcipue vult eligi sacrosanctum Concilium Tridentinum, nec tamen ditiorum excludi (1): et quidem his in nostris præsertim diebus, non multi potentes, non multi divites militiæ dant nomen ecclesiasticæ; quippe qui mundanis cupiditatibus et desideriis abrepti a sacris sacerdotii muneribus avertuntur: unde Seminariorum sustentatio in eleemosynis fidelium fere tota reponitur. Propterea caveant parochi et quisquis de bono Religionis est sollicitus, ne inter tot et tam pretiosa pietatis et beneficentiæ opera, unquam in neglectum vel oblivionem venire possint Seminariorum necessitates.

(1) Conc. Trid., sess. xxiii, *de Ref.*, cap. 18.

Quoad alias scholas, quovis nomine nuncupentur, nullus presbyter sive diœcesanus sive extraneus, vel instituat, vel regendas suscipiat, nisi consulto et annuente Episcopo.

## 2° De Seminariis Majoribus.

Si tantam ab Episcopis sollicitudinem, non quidem immerito, expostulent Minora Seminaria, quid dicendum de Majoribus, ubi juvenes ad sacros ordines obeundos, et sacerdotale munus peragendum proxime præparantur?

Quamobrem omni ope nitantur Episcopi suis hujusce modi Seminariis, pietate præcellentes, doctrina eximios et sapientia consummatos directores præficere, quorum curis laboribusque committantur clerici juniores erudiendi, maximeque ad religionem, pietatem ecclesiasticamque disciplinam instituendi.

Sane optandum esset ut communibus Seminarii exercitiis directores cuncti possint interesse: saltem in quo clerici eodem cœnaculo mensæ assideant; et per horas remissionibus assignatas, quantum tempus et corporis valetudo cuique sinant, medios inter alumnos, colloquiorum sint participes, summam præse ferentes caritatem, benignamque simplicitatem, docentes ea quæ decet exemplis potius quam præceptis.

Frequenter de clericali vita et virtutibus, de sacris ministeriis et officiis, de rebus liturgicis et cæremo-

niis, de modo agendi erga Superiores et cujuslibet generis personas, coram omnibus sermones habeantur.

Et cum nihil ad sanctitatem sacerdotalem magis conferre valeat quam meditatio oratione mentalis assidua, studiose de methodo, variisque modis orandi doceantur alumni, ut hujusce exercitii adeo necessarii, amorem fructusque concipientes, nunquam ab eo, per reliquum vitæ tempus, abstineant.

Nemo ad theologicos cursus ineundos admittendus est qui prius de philosophia stricte examinatus non fuerit. Tum deinde in scholis, per triennium vel etiam per quadriennium, tradatur theologia, dogmatica scilicet et moralis, quæ in studiis ecclesiasticis majores et præcipuas partes semper tenere debet, et in qua docenda et addiscenda, monet Synodus scholastica forma utendum et latino idiomate.

Habeatur præterea expositio et interpretatio sacrae Scripturæ, utpote *cælestis illius thesauri quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit* (1); ex quo præcipue depromantur et explanentur liber Psalmorum, quatuor Evangelia, Actus Apostolorum et Epistolæ.

Exponantur insuper, in quantum licuerit, Juris Canonici notiones quæ in decursu tractatum theologorum non sufficienter evolverentur.

Alumnis etiam suppeditentur libri et diversa media

(1) Conc. Trident., sess. v., de Ref., c. 1.

quibus historiæ studeant ecclesiasticæ, cujus notitia in se necessaria, tantum juvat etiam ad plenam rerum theologiarum scientiam perfectius adipiscendam.

Tandem per quasdam institutiones, publicasque exercitationes, sacro verbi ministerio efficaciter adimplendo initientur.

Cæterum in quocumque studiorum genere experientia constat non satis esse ut professores audiant alumni, sed ut ipsi ea quæ didicerint verbis exponant, et quidem latinis, quoties de philosophia agitur aut theologia. Argumentationi scholasticæ assuefiant; necnon iis frequenter quædam quæstiones scripto tractandæ assignentur. Bis demum, singulis annis, diligenter examinentur omnes de iis omnibus quibus studuerint.

### 3° De Collationibus ecclesiasticis.

Ne post seminarii tempus, clerici unquam a studiis cessent ecclesiasticis, omnem operam vigilantiamque afferre debent Episcopi. Quotannis igitur, ad minus per quinquennium, presbyteri juniores a viris doctis gravibusque examinentur. Nullus vero presbyter ad animarum curam suscipiendam vocetur, nisi prius de iis quæ ad munus implendum pertinent interrogatus, scientiam competentem rite probaverit.

De Collationibus ecclesiasticis quæ recte ordinatæ et ab omnibus frequentatæ, ad sacrorum studiorum honorem, ac totius ordinis ecclesiastici decus tanti

valent et proficiunt, illud optant Patres Concilii, ut, juxta veterem usum, hactenus in quibusdam Diocesis felicitate servatum, illæ Collationes in tota Provincia Turonensi renoventur ac vigeant; sicque singulis mensibus, per eam anni partem quæ determinabitur, in locum assignatum coeant omnes presbyteri cujusdam circumscriptionis seu districtus, et de rebus ab Episcopo præfixis conferant.

Omnia autem ecclesiasticæ doctrinæ ac disciplinæ elementa collationibus materiam præbere convenit: nempe Scripturam sacram, Theologiam, Jus canonicum, res Liturgicas, Historiam Ecclesiasticam; curabitque Episcopus regulas in sua Diocesi pro Collationibus præscriptas, ab omnibus stricte observari.

## DECRETUM X.

### De Parochis cæterisque Presbyteris.

Quanquam Episcopis jure divino præceptum sit *attendere universo gregi* (1), non tamen possunt per se ipsos cunctis et singulis ovibus sibi commissis sufficienter providere. Hinc jure optimo, ut ait S. Synodus Trident., distinctæ fuerunt *Parochiæ et constituti inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque*

(1) Act. Ap., c. xx, v. 28.

*ovium curam habeant* (1), quique *Parochi* vocantur. Quo magis autem sacerdotibus aliis suo gradu præeunt, eo debent se Episcopo conjunctiores habere. Semper meminerint suam auctoritatem esse Episcopo subordinatam, ac proinde ipsius mandata, ea quæ decet reverentia, filialique obsequio suscipiant; ipsum super dubiis rebus adeant, et agendi regulam in difficilioribus casibus ab ipso expostulent. Sic enim Episcopo per obedientiam devincti, et per Episcopum ipsimet Christo summo animarum Pastori, uberimas, ad tantum munus obeundum, gratias consequentur. Sic etiam et ipsi a suis in ministerio cooperatoribus, necnon a parochianis, eam obtinebunt obedientiam quæ eorum auctoritati debetur, quamque accurate præstari ideo efficacius curabunt, quantum in ipsis erit, Episcopi.

Quæ omnia ut pro majori animarum bono adimplerentur, hæc statuit Synodus:

1° Non assumantur in officium Parochi, nisi quos spectata fides, morum gravitas, studium disciplinæ ecclesiasticæ commendant, et qui jam in inferioribus ministeriis, per tempus aliquod notabile, probati fuerint, nisi, ob urgentem necessitatem, aliter Episcopo videatur.

2° Cum ex disciplina hodie apud nos vigente, Episcopi plerisque ecclesiarum rectoribus jurisdictionem, pro cura animarum, ad nutum revocabilem

(1) Conc. Trid., sess. xiv, c. 9.

conferre valeant, ipsis magnopere commendamus ut *hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate, haud frequenter et nonnisi prudenter ac paterne utantur, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest in hisce rerum adjunctis, satis consultum videatur* (1). Hanc tamen disciplinam post Concordatum anni 1801 in Galliis, assentiente Summo Pontifice, inductam, quæque, haud vereamur dicere, primævis illis quasi renascentis apud nos Ecclesiæ temporibus, necessaria, tot indubie salutaria et perutilia rectæ dioceseon administrationi, animarum bono, ipsiusque cleri ac Religionis honori consecraria habuit, et etiamnum habet, legitimam declaramus; necnon et, juxta mentem ipsorum Summorum Pontificum nobis bene notam, judicamus nullam, de regimine ecclesiarum succursalium, *immutationem* in Provincia nostra *faciendam, donec aliter a sancta Apostolica Sede statutum fuerit* (2). Synodus itaque improbat eos omnes qui in contemptum non solum auctoritatis Episcoporum, sed et Sedis Apostolicæ, hunc præsentem statum, juris communis eversivum et sacris Canonibus prorsus contrarium, asserere non dubitant.

3° Ipsi autem Parochi attente ponderent varias quas assumunt obligationes: *Forma facti gregis ex animo, impendant sua et seipsos superimpendant pro animabus* (3) sibi concredit. In iis igitur ecclesiis

(1) Ep. Episcopi Leodiensis ad Greg. XVI.

(2) Resp. Greg. XVI. ad Epis. Leod.

(3) II. Cor., 12, 15.

quas regunt, assidue resideant; de prædicatione verbi divini, parvulorum instructione, pauperum et infirmorum cura sint solliciti, prout fusius explicant decreta quæ sequuntur.

4° Decorem domus Dei, quam *omnis decet sanctitudo*, impense diligant, indefessaque enitantur industria, ut templa, altaria et quæcumque ad usum et ornatum sacrum spectant, convenienter niteant. Sedulo invigilent ne in ecclesiis quidquam fiat quod sanctitati loci ac reverentiæ ipsi debitæ, quoquo modo adversetur.

5° « Quoniam multum interest Ecclesiæ et communis boni, parochiales quoscumque libros, cum antiquos, tum recentes, inventaria, publica quævis instrumenta, documenta quæ ad ecclesiæ bona, reditus, jura, onera eorumque satisfactiones pertinent, item sacrarum reliquiarum, indulgentiarum litteras, visitationis episcopalis, et quæcumque, etiam extra visitationem, Episcopi decreta, perpetuo conservari, atque in promptu haberi, eorum indicem seu repertorium (a parochis) describi volumus, eademque omnia documenta et libros reponi in archivio, sive convenienti armariolo sera et clave munito, in sacrario ecclesiæ vel alio aptiori ædium parochialium loco constituto (1). »

6° Obtestamur etiam Parochos quibus in adjutorium ministerii adjunguntur vicarii sacerdotes, ut

(1) Conc. Novariens. de Parochis. 1826.

eos paterno affectu suscipiant, per teneræ caritatis officia sibi devinciant, semper memores se illius esse ministros qui subditorum patres, non dominos, jubet esse quos aliis præficit. Cum sit præcipui eorum muneris eos ad pastoralis ministerii exercitium præparare et informare, paulatim varias functiones obeundas iis pro sua prudentia committant. Juniores præsertim consiliis, quæ suppeditat experientia, adjuvent.

Monemus pariter ipsos vicarios ut nominis sui meminerint: quamvis enim sint approbati et missi ab Episcopo, atque ad solum ejus nutum revocabiles, vice tamen parochi tantum et sub ejus directione, sacro ministerio inservire debent, nedum ipsis liceat aliquid contra ejus auctoritatem aut voluntatem attentare. Sint igitur subjecti, obedientes, benevolentis animo, ad omne opus bonum sibi injunctum semper expediti, atque parochum senio vel infirmitatibus gravatum, quantum in ipsis est, exonerent et filiali obsequio consolentur.

7° Præterea Eleemosynarii quibus sive in sanctorum conventibus, sive in hospitibus, sive in scholis puerorum utriusque sexus, animarum cura commissa fuerit, ea quæ de pastoralis sollicitudine à Concilio sancita fuerunt, velut sibimet dicta vel præscripta, pro suo quisque munere adimpleant. Sint vero, si de monialibus agitur, parte gregis optima, in spiritualibus peritiores: si de ægrotantibus et infirmis, in residendo strictiores, in visitando et docendo promptiores et frequentiores; si de pueris

aut puellis educandis, mansuetudine simul et gravitate pollentes.

8° Sacerdotes autem qui in parochiis libere degunt, et vulgo dicuntur *habituati*, diebus dominicis et festivis, divinorum officiorum celebrationi, in choralis habitu, devote intersint, et quoad horam missæ celebrandæ, utilitati fidelium, ad parochi nutum, consulere studeant. Hortamur eos ut semper paratos se exhibeant ad parochum in sacris functionibus adjuvandum, et fidelium bono, pro circumstantiarum opportunitate, inserviendum. De cætero, tempus suum utiliter impendere curent, a vita otiosa abhorrentes, quæ fidelibus scandalo esset et sibimetipsis pernosa.

9° Sacerdotes vero qui strenue prælia Domini præliati, senio conficiuntur, vel quos adhuc juvenes, præmatura gravat infirmitas, anxia sollicitudine prosequuntur Patres Concilii, et cura quam maxime efficaci, illorum necessitatibus providere exoptant. Quapropter non solum illas institutiones quæ vulgo dicuntur *Auxiliorum æraria* (gallice: *Caisses de secours*) in pluribus Diocesis Provincie jamjam erecta, vehementer approbant: sed et in cæteris erigendas commendant, nisi alia suppetant media e presbyterorum cordibus amovendi anxiam de pane senectutis sollicitudinem.

10° Denique presbyteros omnes, quicumque sint, obsecramus in Domino, ne unquam obliviscantur ad quantum dignitatis fastigium fuerint eveci. Tanta igitur *sanctitate præcellant*, quanto sunt honore præ-

stantiores (1). Gratias sane maximas Deo nostro agendas unanimi sensu ducimus, quod nostræ Provinciæ clerus quis professione sit, non minus opere quam nomine demonstret: attamen pro temporum nostrorum exigentia, hæc præcipua attentione, semper præ oculis habeat:

1° Sacerdotes ad se specialiter directa existiment, in præsentibus rerum adjunctis, hæc B. Jacobi verba: *Religio munda apud Deum et Patrem hæc est... immaculatum se custodire ab hoc seculo* (2). Hodie enim, si unquam, *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (3). Valde ergo formidandum est ne ex nimia cum mundanis familiaritate, paulatim amittant *Spiritum qui ex Deo est*, et mundi spiritum accipientes, fiant quemadmodum tot hujus seculi homines, *cupidi, voluptatum amatores magis quam Dei* (4), et *dominationem spernentes* (5).

2° Militantes Deo non implicant se negotiis secularibus (6). Non ergo sese immisceant rerum temporalium curis: præcaventis ne dum parochianorum, et præsertim propinquorum commodis temporalibus consulere intendunt, ministerii sui libertatem et effica-

(1) Conc. Andeg. 1293.

(2) Jac., c. 1, 27.

(3) I. Joan., II, 16.

(4) II. Timoth., III, 2.

(5) Jud., 8.

(6) II. Timoth., II, 4.

ciam impediunt. Imprimis perturbationum civilium temporibus, memores se omnibus debitores esse (1), ut ait Apostolus, ita se gerant ut palam et confidenter dicere possint cum eodem Apostolo: *Testis est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi* (2); et cunctis manifeste pateat ipsos id præ omnibus intendere ut omnes salvi fiant (3). Omnium ergo et singulorum corda sibi devincire conentur per pietatis et caritatis opera, iis præcipue incumbentes quæ efficacissime Religionis et societatis bonum promovere, et utriusque ruinam præcavere possunt.

3° Tandem sint inter se solliciti servare caritatem, quod est vinculum perfectionis. Præ oculis habentes illud Apostoli: *Dum omnimodo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (4). Ab omni livoris et invidiæ spiritu sint alieni. *Non quæ sua sunt querant, sed quæ Jesu Christi* (5). *Alter alterius onera portantes, sic adimpleant legem Christi* (6); ut de ipsis dici possit quemadmodum de primis christianis: *Vide ut se invicem diligant* (7)!

(1) Rom.

(2) Philip., I, 8.

(3) I. Cor., X, 35.

(4) Coloss., III, 14.

(5) Philip., XI, 21.

(6) Galat., c. VI, v. 2.

(7) Tertul. Apol. 39.

## DECRETUM XI.

## De moribus et conversatione Clericorum.

Inter homines ea morum integritate conversari debet quilibet clericus, ut cum Apostolo fidelibus quodam modo dicere valeat: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1). Idcirco quæ tot Conciliis antiquitus sancita fuere, et statutis diœcesanis tradita de moribus et conversatione clericorum, sedulo ab omnibus volumus observari: inter hæc autem, ea quæ sequuntur, præ oculis ponere opportunum censemus.

1° Clerici sacris initiati non alias personas sub eodem tecto manentes, habere ullo pacto præsumant, præter eas quæ statutis diœcesanis permittuntur, et Episcopi omni cura invigilent ut quæ tum de parentibus, tum de ancillis clericorum jam præscripta sunt, fideliter teneantur. Si autem, ea occasione, abusus subrepere videant, hos radicitus studeant evellere, adhibitis etiam, si judicaverint expedire, ecclesiasticis censuris. Cæterum, in omni casu caveant clerici, ne mulierum apud se commoratio, aut ratione vitæ anteactæ vel præsentis, aut ratione ætatis, numeri, aliarumve circumstantiarum, noceat optimæ famæ qua ipsi gaudere debent, aut bono animarum sibi commissarum. Enixe interim eos hortamur ne suos, nisi de gravioribus

(1) I. Cor. vi, 16.

causis aut urgente necessitate, domi ad commorandum recipiant.

2° Omnino caveant ne, ratione temporis, loci, qualitatis et frequentiae personarum domum adeuntium, in publico tantisper mali audiant. Item cum sive ministerii, sive bonorum operum, aut alterius negotii causa, cujuslibet mulieris invisendæ aut alloquendæ sibi existimaverint adesse rationem, sic se irreprehensibiliter habeant ut mundus, qui totus in maligno positus est, nihil mali habeat dicere.

3° Similiter ea quæ præcipiuntur clericis de quibusdam casibus, venatione, aditu ad cauponas comedendi bibendique causa (exceptis casibus a Jure determinatis), nuptiarum conviviis, spectaculis profanis et aliis istiusmodi, prout in sacris Canonibus et statutis diœcesanis sunt definita, religiose ab omnibus observentur. Si ludis aliunde licitis, per modum relaxationis vacaverint, hisce moderate meminerint indulgendum esse, nec unquam diurnis aut vespertinis horis nimium producendum tempus, nec in sortem exponendum quod utique utilius posset expendi.

4° A mundano luxu, vitæ clericali prorsus alieno, tanto magis abhorreant, quanto procacius ubique grassari videtur. Elucescat e contra simplicitas et modestia in eorum suppellectili, in mensæ apparatu, in omni conversationis habitu, ut nemini dent offensio- nem, sed potius omnibus sint *Christi bonus odor*.

## DECRETUM XII.

## De habitu clericali et tonsura.

« Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant (1). » Quapropter Synodus, instaurans ea quæ permultis Conciliorum provincialium decretis necnon statutis synodalibus sancita sunt, inter alia hæc servari præcipit.

Omnis clericus in sacris constitutus, habitu ecclesiastico congruenti, præsertim vero talari veste, nigri coloris, in loco domicilii continuo induatur.

Si iter facienti contingat uti veste contractiori, quod raro necesse est, sit saltem subnigri coloris, simplex, et in qua honestas et decor ordinis eluceat (2).

Cætera vero omnia quæ ad habitum clericalem attinent, ab Episcopo ordinentur; et quæ fuerint ab eo statuta, ea clerici studeant observare.

Absit denique ab indumento cujusvis ecclesiastici viri, quidquid fastum, cultumve plus æquo exquisitum redolet, vel versatilem levitatem, aut inconcinnam negligentiam prodit.

Corona semper conspicua insignitus procedat, nus-

(1) Conc. Trid., sess. xxii, c. 1, *de Ref.*

(2) Concil. Mediol.

quam vero cum capillis qui nutriantur aut tondeantur mundano more (1).

## DECRETUM XIII.

## De residentia.

Personaliter residere tenentur in loco sui tituli vel officii, omnes vel quibus incumbit cura et regimen animarum, vel qui in ecclesiis cathedralibus præbendas obtinent.

1° Itaque meminerint Episcopi ut inter oves suas commorentur, ad eas continuo pascendas verbo et exemplo: et si quando quædam necessitas aut evidens utilitas eos abesse postulat, provideant ne quid damni, ex absentia, patiatur diœcesis administratio.

2° Canonici ad divina officia in choro persolvenda, juxta uniuscujusque ecclesiæ regulas, omnino tenentur. Idcirco secundum decreta Concilii Tridentini (2) non possunt abesse quolibet anno, ultra tres menses continuos aut interpolatos, ab ecclesiis quibus sunt addicti, salvis nihilominus constitutionibus quæ longius servitii tempus requirunt. Quod si abfuerint absque legitima causa a lege permessa, ab Episcopo admoneantur, et ad sanctorum Canonum normam

(1) Decret., l. iii, t. 1.

(2) Sess. xxiv, c. 12.



sequendam coerceantur. Per residentiam autem pro canonicis, intelligitur præsentia in choro.

Cum celebrandi officii ratio omnes canonicos eodem tempore simul abesse non sinat, res ita ordinentur ab Episcopo et Capitulo, ut satisfiat et ecclesiæ servitio et singulorum canonicorum juribus.

3° Parochi quorum munia quotidiana sunt, et ad animarum salutem spectant, arctiori residentiae vinculo adstringuntur. Itaque a parochia non absint ultra unam hebdomadam absque Episcopi licentia.

Ipsis tamen conceditur ut, semel tantum in anno, per duas hebdomadas, una vero tantum dominica, possint abesse. Sed tunc sicut et in qualibet absentia, etiam ad breve tempus, semper sollicite providere debent ne unquam fideles priventur missa parochiali, et spiritualibus quibus indigent auxiliis.

Insuper quotiescumque ab ipsis erit iter agendum extra diocesim aut dioceses contiguas, etiam per tempus ut supra concessum, ab Episcopo licentia et litteræ testimoniales erunt obtinendæ.

Cæterum parochos monitos esse volumus quod si sæpe etiam per paucos dies, aut si sæpissime per diem integrum extra parochiam discurrerent, muneri suo non satisfacerent, quippe qui plura certe omitterent officia, non sine magno animarum detrimento.

4° Quæ de Parochis diximus, ea de Eleemosynariis et Capellanis ac etiam de Vicariis intelligi volumus. Vicarii autem non debent etiam ad breve tempus abesse, nisi sciente et consentiente parochi.

## DECRETUM XIV.

## De prædicatione verbi divini.

1° Norunt omnes quantopere ministerium verbi divini pastoribus commendarint Patres atque Concilia. Illorum et nos auctoritatem secuti, animarum pastores in Domino obsecramus ut tanto huic muneri animo se devoveant, eoque impensius, quo magis, hisce luctuosis temporibus, *diminutæ sunt veritates a filiis hominum*, et plures sint qui ignorantia pereant.

Cum autem decernat Concilium Tridentinum ut quicumque curam animarum gerunt, *per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemmibus, plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis* (1), hoc decretum, quantum opus est, renovamus, optantes etiam eos crebrius ad populum sermonem habere, prout prudens caritas animarum suggererit, vel exoptulaverit bonum spirituale fidelium. Quod si juxta usum ab Episcopo approbatum, in ruralibus parochiis, ratione laborum quandoque nimis instantium, liceat per aliquod tempus prædicationem intermittere, provideatur tamen ne sæpius diutiusve fideles penitus hoc suo spirituali cibo priventur.

Per se quidem pastores prædicandi ministerium

(1) Sess. v, c. 2.

implere debent, vicarios tamen in partem hujus muneris venire oportet. Ignotum vero sacerdotem, aut in propria diœcesi non approbatum, ad concionandum ne admittant; et si agatur de prædicatione in stationibus, missionibus aut spiritualibus exercitiis agenda, nemo, nisi de licentia Episcopi, vocetur.

2° Ut muneri suo satisfaciant pastores, non promiscue et sine delectu, veritates Religionis proponant fidelibus. Doceant quod quisque scire et facere tenetur, videlicet non solum mysteria, quorum cognitio est ad salutem necessaria, et quæ a pluribus ignorari valde dolendum est, sed et alia quæ continentur in Symbolo; orationem Dominicam, præcepta Dei et Ecclesiæ, doctrinam Sacramentorum, et quæ pertinent ad dignam eorum susceptionem. Exponant pariter quæ spectant ad divini cultus festorumque celebrationem, necnon sacrarum cæremoniarum rationes ac significationes; quæ sint cujusque officia juxta ætatem, statum et conditionem, cæteraque omnia quibus vita christiana recte instituitur.

Quod ut feliciori successu procedat, doctrinam christianam non per puncta inter se dissita, et nullo fere modo sibi cohærentia proponant, sed quantum sinunt circumstantiæ, vel secundum ordinem ab Episcopo propositum, vel ad normam in catechismo, eoque præsertim diœcesano expressam. Et hoc etiam teneatur ubi plures ministerium verbi exercent; partitis scilicet et inter se distributis rerum tractandarum argumentis.

3° Multa sunt sane quæ præcavere debent cœlestis doctrinæ præcones. Verum hæc potissimum observent: quæstiones inutiles, incertas, difficiles et captum auditorum superantes removeant. Ea autem tantum proferant quæ ad fidem veram, bonos mores, pietatem, concordiam pertinent. Non quærant hominum plausus, sed fidelium utilitatem; *non erubescant Evangelium; non seipsos prædicantes, sed unum Jesum Christum et hunc crucifixum, Dei virtutem, et Dei sapientiam, quem cognoscere vita æterna est, quem ignorare summa damnatio* (1).

Speciali cura invigilent debellandis, imo et præcavendis abusibus. A conviciis tamen et acrioribus verbis absterneant, nec quemquam nominent aut indirecte designantes, insectentur. Sed benevolentiam præ se ferant erga omnes, et ita se gerant ut pietatis, et caritatis solum studio, non peculiaris alicujus odio, id facere omnes intelligant. Infestissimos etiam hujus temporis errores, non minus societatis quam Religionis eversivos, si forte in sua parochia irrepere viderint, eos confutare ac præfocare satagant: sed ea utantur prudentia, ut nunquam eis merito exprobrari possit quod in disceptationes politicas sese ingesserint, caveantque ne errores viribus impares aggreduendo, periculum incurrant eos roborandi, dum eradicare conantur.

4° Sit sermo brevis, facilis et simplex, non rudis

(1) Rom. Cor. Joan. etc.

tamen et incompotus : *devent profanas vocum novitates* (1) quæ adulterant verbum Dei, easque sermonis formas quæ non minus verbi evangelici dignitati et sanctitati, fideliumque utilitati sunt adversæ, quam a sanctoribus Conciliorum institutis alienæ.

5° Nonnisi convenienti præparatione præmissa, ad concionem accedant; salutarisque doctrinæ fluente animis fidelium infundenda, non ex qualibuscumque libris hauriant, sed in puro Scripturarum fonte, in documentis SS. Patrum, in catechismo Concilii Tridentini, et in probatis auctoribus apud quos *formasanorum verborum* doctrinaque integra servatur.

6° Memores demum quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, orationi simul et prædicationi permaneant instantes; maxime vero caveant, ne quod ædificant præceptis ac hortatu, id vita et moribus subvertant.

## DECRETUM XV.

De pueris catechizandis et ad primam communionem admittendis.

1° Grave quod Parocho incumbit officium verbo divino pascendi gregem sibi commissum, peculiari modo christianam puerorum institutionem complec-

(1) I. Tim., vi, 20.

titur. Ipsum quippe non latet hanc esse ætatem qua fidei et gratiæ semina in baptismate suscepta, quasi in fructus excrescere debeant. Tunc scilicet informari, et, si ita loqui fas sit, imprimi in anima honestos sensus et christianas virtutes, parari religionis decus, parochiarum disciplinam, familiarum societatisque pacem, quin etiam æternam fere assecurari salutem experientia docet, si providus pastor has teneras oves, doctrinis fidei sedulo enutriet.

2° Quod quidem dulce officium puerulis per se præstare gestiatur, quantum dabitur copia : maxime autem invigilet ut parentes eos, tum publicis catechesibus, tum scholarum christianarum exercitiis erudirent, statim ac in eis rationis lumen illucescere advertunt.

3° Quando ad rationis usum pervenerint, pluries in anno illos parochus advocet, fidei elementis edocendos. Eos quamprimum ad confitendum peccata sua sollicitè disponat : neque ad ætatem usque primæ communionis differat absolutionem, præsertim vero si gravis peccati reos, quod non raro accidit, inveniatur.

4° Ubi jam accesserint anni quibus, ex statuto Episcopi locorumque consuetudine, ad sacram mensam aditus pateat, pueros ad ecclesiam convocare non omittat, si non sæpius, saltem diebus dominicis et festivis, juxta Concilii Tridentini mandatum, quo eos doceat blando, facili, brevique sermone, quid credere, quid agere necesse sit ad vitam recte instituendam,

imprimis ad sacramentum Eucharistiæ sumendum. Tandem cum instabit communionis dies, nullum admittat quin de ejus scientia, speciali examine per seipsum, quantum poterit, certior factus fuerit. Suos tantum admittat parochianos, inter quos adnumerari placuit qui in schola a tribus mensibus commorantur, etsi mox discessuri, et qui nuper in ea collocati sunt ad tempus indefinitum, vel saltem usque ad finem anni scholastici.

5° Ubi fuerint plures in eadem civitate parochiæ, alumni interni et semi-interni scholarum utriusque sexus capellam et capellanum non habentium, primam communionem suscipiant in ecclesia parochiæ ad quam pertinet schola.

Externi autem cujusque scholæ, adeant parochialem ecclesiam sui domicili.

6° Tandem ne obliviscatur parochus sui muneris esse ut in pueris, qui jam prima vice corpus Domini susceperint, tanti beneficii fructus integros servet.

Eos igitur a pravis seculi exemplis ac moribus omnimode tueri conetur, ac per rectam virtutis et pietatis semitam ad vitæ fontes deducere, quæ præcipue e sacramentis Ecclesiæ fluunt. Quod feliciter assequetur, si, ut vehementer exoptant Concilii Patres, per unum alterumve annum, eos catechizandos coadunare pergat; imo et ultra, peculiaribus informare non desinat scientiæ et pietatis disciplinis, quæ merito *Catecheses perseverantiæ* dictæ sunt.

## DECRETUM XVI.

## De sollicitudine pastorali erga infirmos.

Sollicitudine pastorali nihil dignius quam infirmorum cura, quæ nobis commendatur exemplo Christi: siquidem apparuit in mundo sanans omnem languorem et omnem infirmitatem (1). Sacerdos igitur cui animarum cura demandata est, non expectet dum ab ægrotis advocetur, sed sponte sua accurrat ubi quem audierit gravi morbo correptum. Idcirco etiam publice hortandi sunt fideles ut de graviter ægrotantium statu, quos quisque noverit, pastorem cito commonefaciant.

Cum autem luctuosa constet experientia quosdam aliquando cujusvis ætatis et conditionis, ignorare quæ de salutis necessitate scienda sunt, id primum, in quantum opus erit, sunt edocendi.

Sæpe sæpius exigit prudentia confessionem graviter ægrotantis quamprimum integram excipi, et sic, absolute data, sacri Viatici et Extremæ Unctionis ministrationem non differri.

Si inter confitendum, aut etiam extra confessionem, de suiipsius temporalibus bonis ægrotus quæstionem inducat, summam cautionem in responsis sacerdos adhibeat, ne justitia vel caritas lædatur, aut etiam ministerii dignitas aliquid detrimenti patiatur.

(1) Mat., iv, 22.

Nec ægrotum sacramentis munitum derelinquat confessarius : eum e contra sive piis et consolatoriis verbis confirmaturus, sive, quod quandoque valde expedit, brevi iterata confessione, denuo absoluturus, pluries revisat.

Eos vero qui, vel senio confecti, vel absque mortis periculo, infirmitate languentes domi detinentur, non raro pastores adeant, pie alloquantur, et ad sacram communionem pluries in anno recipiendam adhortentur atque præparent, ne spirituali cibo deficiente, languescat anima aut etiam pereat *pro qua Christus mortuus est*. Omnium deinde zelo commendamus animas parvulorum infra septennium periculose decumbentium, qui non raro carent sacramentis, quamvis forsam gratiam baptismalem aut amiserint, aut saltem minuerint. Visitentur ergo et sufficienter dispositi absolvantur, et Extremæ Unctionis recipiant sacramentam.

Sciant præterea pastores administrandum esse sanctissimum Viaticum pueris mox decessuris, si eos compererint tantam assecutos iudicii maturitatem ut cibum istum cœlestem et supernum a communi et materiali discernant (1); ac proinde illos vulgatæ theologorum doctrinæ contradicere, qui pueros in mortis periculo positos, indiscriminatim carne Christi impastos relinquunt atque dimittunt.

(1) Bened. xiv de Synod., vii, 12.

## DECRETUM XVII.

### De Sacramentorum administratione.

*Quanta cum reverentia et puritate, quanta cum externi cultus munditia... Sacramenta tractari debeant* (1), quantaque esse debeat sacerdotum in servandis diœcesanorum, tum statutorum, tum ritualium, hac de re præceptis, diligentia, supervacaneum dicere censemus. Satis nostro proposito facere videbimur, si summatim notaverimus qui forte irrepserint abusus, vel quæ nostrarum ecclesiarum varietates ad unam eandemque formam fuerint redigendæ, si denique paucis pariter novis difficultatibus occurramus, quæ ex hodiernis rerum et temporum adjunctis sunt exortæ.

### 1° CIRCA BAPTISMUM.

1° Patrinus et Matrina simul, ut mos est receptus apud nos, adhibeantur, ita tamen ut, in casibus difficilioribus, parochis alterutrum tantum admittere liceat.

Si autem accidat ut unus tantum adhibeatur, jam ad sacram communionem accesserit : si vero duo, ut dictum est, unus saltem ad primam communionem fuerit admissus, alter autem, jam septem annos natus,

(1) Conc. Meld. ann. 1579.

rudimenta fidei calleat, et de his interrogatus, sufficienter respondeat.

Si autem de fratre et sorore baptizandi agatur, admitti poterunt, licet neuter sacram communionem susceperit, dummodo non sint minores septennio, et rudimenta fidei non ignorent.

2° Cum ex ubique recepta disciplina, inter eos qui non sunt ad hoc munus admittendi, recenseantur *publice criminosi* (1), caveant parochi ab iis admittendis qui impietatem, maxime in scriptis, publice profitentur; qui in matrimonio civiliter tantum inito, in concubinato, aut in adulterio manifesto degunt; nec etiam admittantur ludorum scenicorum actores vel actrices. Maxima tamen in his omnibus utantur prudentia; et si habita ratione conditionis vel status personarum, dubium aliquod aut gravis difficultas oriatur, *consulatur Episcopus*.

Qui autem muneris illius suscipiendi indigni habitus sunt, sciant se nec per procuratorem illud exercere posse.

3° Maximi est momenti ut in registro cuncta inscribantur nomina baptizatorum in ordine quo fuerunt imposita, accurate et modo ad legendum facillimo.

Nunquam omittat sacerdos diligenter conficere actum baptismalem et chirographa patrini saltem et matrinæ requirere.

(1) Rit. rom.

2° CIRCA CONFIRMATIONEM.

1° Ut uberiores, ex suscepta Confirmatione, fructus percipiant fideles, sancimus nullum ad hoc sacramentum admittendum esse, quin ad primam communionem accesserit; nisi tamen aliud gravis ratio, iudice Episcopo, suadeat.

2° Confirmandi Episcopo offerant *schedulam*, ut dicunt, Confirmationis, qua scilicet constet tum de licentia proprii parochi, tum de debita ad illud sacramentum suscipiendum præparatione. Habeatur etiam in unaquaque ecclesia parochiali *liber confirmatorum* in quo ipsorum nomina inscribantur.

3° Nullus autem diœcesi alienus confirmetur, nisi prius expresse data, vel saltem, gravi de causa, præsumpta Ordinarii proprii licentia.

3° CIRCA COMMUNIONEM PASCHALEM.

1° In propria quisque ecclesia Communionem Paschalem suscipere debet. Sacerdos tamen, ubicumque celebret, præcepto satisfacit.

2° Quicumque ad familiam religiosam pertinent, novitii et novitiæ, postulantes, sorores janitrices, fratres donati, ubi sunt, et sorores donatæ, personæ perpetuo commensales, famuli et famulæ in interiori conventu commorantes, in ecclesia monasterii Communionem Paschalem suscipiunt.

3° Similiter qui degunt in seminariis, collegiis

juvenum, puellarum institutis, et hospitiiis capellam et capellanum habentibus, in ea capella Communionem Paschalem suscipiunt; externi vero famuli, aliique ad ipsum conventum aut institutum non pertinentes, in ecclesia parochiali sui domicilii.

4° Membra communitatum capellam et capellanum non habentium non nisi in ecclesia parochiali respectiva cujusque communitatis, præcepto Communionis Paschalis satisfacere possunt.

#### 4° CIRCA CONFSSIONEM.

Maximam libertatem habeant fideles in confessariis eligendis, etiam pro Confessione sacramentali annua facienda de præcepto, cui satisfieri, pro nostra provincia, declaramus per confessionem factam cuilibet sacerdoti ex approbatis ab Ordinario. Universi parochi moneant parochianos, præsertim in quadragesima, de ejusmodi facultate ipsis concessa; et nullus erga quascumque personas, hanc libertatem directe vel indirecte lædere præsumat.

### DECRETUM XVIII.

#### De vigilantia pastoralis circa quædam hujus temporis pericula.

Cum Patres Concilii cuncta sacri ministerii officia enucleare nequeant, quæ tamen ita studiose adimplere

debet quivis regimini animarum præpositus, ut ex illis animabus Christo carissimis, nulla eorum culpa pereat, hæc solummodo præcipua denuntianda esse arbitrantur circa majora hujus temporis pericula.

1° Populum christianum sæpe moneant parochi, instantius autem patres et matresfamilias, ne ulla apud se retineant, legant, aut legi patiantur scripta quæ sanam fidei morumque doctrinam, tam in ipsis quam in subditorum mentibus, labefactare queant. Quotidianis, hebdomadariis, aut mensualibus publicationibus præsertim invigilent, ne quid ex eis malum, noxium aut dedecens, puerorum, famulorumve manibus permittatur. Impiam enim nunc et infamem sub hac publicationis forma, librorum, historiarum aut poematum luem, religionis et societatis æqualiter subversivam, inundare nemo est qui nesciat. Incumbant in eo primi pastores ut in suis diocesis, nihil de doctrina et rebus ad religionem spectantibus, in lucem veniat et divulgetur, quin prius ipsorum approbatione muniatur in quantum fieri poterit. Ea etiam, qua par est diligentia, sollicitudine et prudentia, ex parte parochorum et quorumvis animarum saluti præpositorum, obsistatur introductioni et contagio librorum religioni et bonis moribus adversantium.

Inter alia quæ huic exitiali plagæ efficaciter opponi possunt et quæ suggerit zelus animarum, commendantur bibliothecæ parœciales libris selectis instructæ, et uniuscujusque utilitati ac ædificationi convenienter accommodatis.

2° De spectaculis vero quæ semper periculis plena, hisce diebus nostris non solum quam maxime innocentiae et moribus sunt nociva, sed ad hunc usque devenerunt excessum, ut nihil sit tam sacrum quod intactum remaneat, nec religionis majestas, nec familiaris sanctitas, nec ullius auctoritatis reverentia, hæc monemus :

Caveant omnes ab iis funestis oblectamentis, et quicumque ad ædificationem proximi præcipue tenentur, ab illis subditos avertant cum prudentia et caritate.

3° Hæc demum addenda statuit Synodus circa conatus quos, paucis abhinc annis, molitur hæresis in quibusdam præsertim Provinciæ regionibus : etenim ut fideles catholici erroris veneno paulatim inficiantur, et a legitimis sejungantur pastoribus, nihil est quod non tentetur. Non solum larga et gratuita librorum effusione, sed etiam sacerdotii ecclesiastici maligna detractio, ementitaque cum doctrinæ, tum rituum et cæremoniarum interpretatione, non subdole minus quam audacter sese exercet zelus acatholicus.

Omnes igitur quibus pastorale regimen incumbit, quibus et ecclesiæ honos et animarum præservatio imprimis cordi esse debent, enixe hortatur Synodus provincialis ut omni modo tantum periculum a suis avertant :

1° Seipsos operarios inconfusibiles et irreprehensibiles exhibendo;

2° Assidue docendo ex doctrina sana; nihil præter

id quod docuit, aut approbavit Ecclesia, docentes aut approbantes;

3° Scholas puerorum utriusque sexus instituendas et bene regendas curando, paternoque eas affectu fovendo;

4° Omnibus caritatis et assistentiæ christianæ, tum publicis, tum privatis operibus, magna proprii commodi aut emolumenti abnegatione, insistendo et pia industria patrocinando.

## DECRETUM XIX.

### De piis sodalitatibus et confraternitatibus.

Sicut pias fidelium sodalitates et confraternitates, ad religionis vel caritatis opera exercenda institutas, valde commendamus et majori membrorum numero, de die in diem augeri et ditari cupimus, ita nobis providendum est, ne si bene et ordinate non gerantur, fiant discordiarum, scandalorum aliorumque malorum fomites.

Quapropter prohibet Concilium ne quis novam confraternitatem efformare vel erigere præsumat, sine consensu et approbatione Episcopi diœcesani, qui ejus statuta diligenter examinanda curabit.

Declarat insuper et vult, secundum constitutionem Clementis VIII, quæ incipit : *Quæcumque* (1), et alias

(1) 16 decemb. 1604.



apostolicas constitutiones, quaslibet confraternitates vel sodalitates, etiam in ecclesiis regularium institutas, vel quæ litteris apostolicis approbatæ, aut archiconfraternitatibus similiter canonice erectis essent aggregatæ, sine consensu et voluntate Ordinariorum non posse subsistere, jurisdictioni eorum omnino subesse, indulgentiarum et privilegiorum communicatione, sine eorundem recognitione, non gaudere, earumque demum officiales administrationis rationem Ordinario, si voluerit, reddere teneri (1).

Jubet etiam Concilium omnes confraternitates in ecclesiis publicis ad jurisdictionem parochorum pertinentibus erectas, parochi locali, vel vicario ab eo specialiter delegato, quando delegandi potestatem habet, omnino subijci, secundum regulas ab Episcopo approbatas. Si quæ vero institutæ sint in oratoriis vel capellis, aut locis a jurisdictione parochiali exemptis, Episcopi adeo exacte eorum jura, functiones ac prærogativas, onera et obligationes determinari curent, ut omnis dissidiorum et controversiarum inter prædictas confraternitates et parochias occasio amputetur.

Sic demum quarumlibet confraternitatum et sodalitatatum exercitia, piaque opera accommodari volumus, ut nunquam per ea impediatur vel turbetur divinorum officiorum in parochia celebratio, imo nec ab ipsis avocentur fideles, cum verbum Dei annuntiatur.

(1) Cong. Conc. 29 maii 1683.

## DECRETUM XX.

## De novis congregationibus et de domorum religiosarum erectione.

Quia religionum nimia diversitas confusionem in Ecclesia induceret, sacri canones prohibuerunt, ne quis novum ordinem aut religionem adinveniret, vel habitum novæ religionis assumeret (1).

Similiter inhibemus ne quisquam, in nostra Provincia, sine approbatione Episcopi diocæsani novam religiosam congregationem aut familiam sive virorum, sive mulierum, cum regula et votis simplicibus vel etiam sine votis efformet, aut sic efformatam ingrediatur.

Præterea, sacro Concilio Tridentino (2) et apostolicis constitutionibus innixi (3), declaramus nova monasteria, domos vel conventus cujuscumque ordinis vel religionis virorum aut mulierum, sine expressa Ordinariorum licentia erigi non posse.

(1) Cap. Ne nimia 9. de Relig. domibus.

(2) Sess. v. de Reform., ch. 3.

(3) Const. *Romanus Pontifex* Urbani VIII.

## DECRETUM XXI.

Contra quosdam hujus temporis errores fundamenta Religionis et societatis evertentes.

Cum hisce nostris temporibus, doctrinæ plus minusve inauditæ aut ex antiquo renovatæ, ipsa societatis ac religionis fundamenta impugnantes, apparuerint, et quocumque diffundantur, Concilii Rhedonensis Patres religionem scilicet et societatem, quantum in ipsis erit, adunatis viribus cupientes defendere, volunt ac statuunt, inter præcipuos et periculosiores ævi præsentis errores, summatim denunciari ac vehementer damnari quædam varia falsæ philosophiæ systemata quibus infeliciter seducuntur tot sanctæ Matris Ecclesiæ filii, admonitionem spernentes aut obliviscentes Apostoli clamantis (1): *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.*

Primo igitur doctrinam quæ rationem humanam supra modum extollens, ei iudicium de omnibus veritatibus etiam a Deo revelatis, liberum ac plenum permittit; cum e contrario juxta fidei principium a Deo Ecclesiæ traditum et ab Ecclesia perpetuo fideliterque servatum, in eo ipso posita sit prima christianæ religionis conditio, ut nos omnia dogmata vel incom-

(1) Coloss., II, 8.

prehensa, Deo loquente, accipere teneamur: et ratio ipsa sese revelationi plane debeat subicere; hanc Synodus denuntiat, reprobatur et damnatur quasi cunctorum errorum fontem, quasi mentes humanas omni duce in divinis destituentem, et religionis radices eruentem.

2° Doctrinam quæ omnes religionis formas indifferentes esse aut æquales dictitans, salutem æternam, solum operum et morum merito, in quacumque religione, æqualiter obtineri posse asserit, damnatur Synodus utpote veritatis et erroris notionem confundentem, omnes Christi incarnationis et prædicationis fructus ex toto evacuantes, necnon et fidei plane obsistentem; cum e contrario innixa his Evangelii verbis: *Qui non crediderit, condemnabitur* (1), et hoc symboli Athanasii articulo: *Catholicam fidem nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit*, Ecclesia semper crediderit et prædicaverit nulli extra fidem catholicam salutem esse sperandam.

3° Doctrinam quæ veritatem in omnibus traditionibus et philosophiis diffusam et in his inquirendam esse, nec in ulla religionis forma perfectam huc usque existere prætendens, Evangelium quidem olim profuisse admittit, religionem vero christianam prout incompletam, esse perficiendam prædicat, et veritates ex omnium traditionum et philosophiarum medio sinu seligendas, ut inde doctrina perfecta, meliusque rationi accommodata, coalescat ac tandem

(1) Marc., XVI, 16.

oriatur; damnat Synodus veluti theoricæ falsam et practicæ impossibilem, insuper graves contumelias inferentem tum Christo qui de se ipso dixit: *Ego sum lux mundi* (1); tum Spiritui Sancto de quo Christus Apostolis prædixerat: *Docebit vos omnem veritatem* (2); cum, e contra, credant et profiteantur christiani Religionem opus Christi et Spiritus Sancti, omnino perfectam esse ita ut extra aut contra eam nulla veritas in iis quæ ad religionem pertinent jam inveniri aut admitti possit.

4° Doctrinam quæ Deum esse omnia et omnia esse Deum affirmans, Deum revera destruit, creationem tollit, diversam spiritus et materiæ naturam confundit, humanas inter et divinas cogitationes aut actiones discrimen aufert, alteram dari vitam ut remunerentur aut plectantur homines, negat, et alia secum innumera et prorsus infanda consecraria ducit; damnat Synodus uti non modo religionis sed et societatis fundamenta radicitus evertentem; cum in eo tota sit religionis ratio, ut, creaturis intelligentibus erga creatorem officia præceptaque imponens, eas per legis, in præsentī vita, observationem, ad felicitatem, in futura perducatur æternam: cum aliunde triplici notione, nempe veri et falsi, boni et mali, juris et debiti, societas necessario nitatur; quæ quidem notio in istiusmodi portentoso systemate penitus evanescit, in

(1) Joan., VIII, 12.

(2) Joan., XVI, 13.

quo supponitur ens unicum omnia in singulis et universis cogitans, operans et possidens.

5° Doctrinam quæ Germanorum e regionibus nuper in Gallias importata, omnia sacrorum veteris et novi testamenti bibliorum facta, quin etiam et sæpe personas, tanquam mythos, ut aiunt, seu figuras poesi, humanaque imaginatione quamplurimum conflatas et elapsu temporum pro veris habitas, exhibere conatur, damnat Synodus utpote certitudinis historicæ principium evertentem, necnon et quibus religionis veritas jusque adstruuntur, titulos lacerantem ac fundamenta evertentem; cum e contra certam hujusmodi factorum ac personarum realitatem imprimis ita supponat et inter articulos suæ fidei profiteatur Ecclesia, ut, illa realitate sublata, omnia quæ inde pendent præcepta aut dogmata, corruant, et secum totam religionem christianam trahant præcipitem.

6° Doctrinam quæ homini cuilibet omnes facultates exercendi jus inesse nativum et inamissibile asserens, innocentiam carnis et rehabilitationem prædicat, sicque omnia desideria mentis et corporis declarat indistincte legitima, damnat Synodus quasi peccati originalis dogma negantem, Evangelii doctrinæ morali plane contradicentem et omnimodis cupiditatibus viam aperientem: cum in eo præcipue christianæ religionis summa consistat, ut, in præsentī, homo abneget semetipsum, tollat crucem suam cunctis diebus vitæ suæ, cibum qui non perit operari præsertim intentus; unde in Ecclesia semper creditum

est et prædicatum, spiritus et carnis leges sibi invicem adversari, et illos solum esse sanctos et salvandos qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

7° Doctrinam quæ meliorem sese offerre societati conditionem jactitans, omnes hucusque notas societatum bases eruit, religionem scilicet, familiam et proprietatem, aut saltem proprietatis et familiæ jura mutans, injustas reformationes suas falsa primorum christianorum agendi rationis interpretatione astruere nitens, omnia bona communia esse et in medio ponenda contendit, damnat Synodus prout totius societatis basim evertentem aut perturbantem, prout, mendacio vel ignorantia, religionem sibi consociam adsciscere volentem; cum constet semper in Ecclesia fuisse creditum bonorum legitime acquiritorum possessorem in ea jus habere verum et strictum, insuper et matrimonii leges a Christo præscriptas, immutabiliter esse servandas.

## DECRETUM XXII.

### Contra fictitium Misericordie opus.

Non sine magno animi dolore perspiciamus, in quibusdam nostræ Provinciæ diocesisibus, irrepsisse alibi exortos errores, quos diffundere conantur viri divi-

narum rerum prorsus ignari vel immemores, qui commentitium fictumque *Misericordie opus* annuntiant. *Novum*, siquidem, *apostolatam* ex laicis conflatum hominibus sibi assumentes, quosdam etiam hucusque pietati addictos infeliciter seducunt, dum tertium, in Christi Ecclesia, regnum proponere audent, quod Spiritus Sancti regnum appellare non reformidant.... ut Ecclesia ex depravationis statu tandem emergat. Vanis quas mentiuntur innixi revelationibus, nova et inaudita prædicant de lapsu angelorum, de humana natura et de beata Virgine.

Igitur Romani Pontificis, felicitis recordationis, Gregorii XVI vestigiis inhærentes (1) Patres Concilii Rhedonensis improbant, rejiciunt, damnant fictitium illud *Misericordie opus*; et impiam doctrinam qua nititur, priscorum hæreticorum perfidiam et astuciam redolentem, anathematis sententia percutiunt. Eos vero qui jam seducti, per viam erroris cæcutientes abeunt, enixe hortantur ut ad veram fidem sinceramque legitimis pastoribus obedientiam redeant. Decernunt insuper a sacra communione arcendos et pœnis spiritualibus esse ab Ordinario plectendos, illos qui pertinaci animo huic sectæ adhærent.

(1) Brev. ad Episc. Bajoc. 8 nov. 1843.

## DECRETUM XXIII.

De iis qui hodiernis temporibus a scriptoribus catholicis  
præcavenda sunt.

In hodierna opinionum conflictatione, cum omnes de omnibus tum humanis tum divinis disserere non dubitent, rem opportunam et pastorali sollicitudine omnino dignam sese acturos existimarunt Patres Concilii, si, in spiritu quidem caritatis, et simul, ubi necesse fuerit, vi auctoritatis divinitus traditæ, monita quædam darent, quibus auctores catholici, de rebus religionem quoquo modo spectantibus tractaturi, in tanto et tam difficili opere tuto dirigi possint, scopolos etiam undequaque imminentes declinare in quos minus caute sæpe sæpius impingunt.

1° Scriptores nonnulli, clerici imo et laici, bona quidem fide, ut autumamus, sed zelo imprudenti magis accensi quam veram habentes intelligentiam divini regiminis in Ecclesia instituti, nimiam in rebus religiosis auctoritatem usurpant, ita ut ad Ecclesiæ gubernaculum reipsa manum admovere videantur. Concilii Provinciæ Turonensis Patres illos monent et adhortantur, ut hoc iterum atque iterum, attenta et pia mente, meditentur, nempe: non iis qui zelum aut ingenium habent jus Ecclesiam regendi competere, sed illis tantummodo quibus a Christo data est potestas, et promissa, usque ad consummationem

seculi, assistentia, Episcopis scilicet, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (1). Istam magni ponderis monitionem ad scriptores catholicos unanimes voce dirigunt Concilii Patres, anxii ne, divinæ Ecclesiæ ordinatione perturbata, commissi sibi greges pro quibus sunt Deo rationem reddituri, grave discrimen incurrant.

2° Disputationes, seu concertationes non solum de religione, sed etiam de politica, scientiis, historia et cæteris hujusmodi in æstuosas et contumeliosas disceptationes inclinant atque decidunt; unde, ut optime notat beatus Franciscus Salesius, plus læditur caritas quam illustratur veritas. Quantum ista disserendi ratio aliena sit a spiritu defensorum veritatis, quos dedecet esse contentiosos, imo et discipulorum Christi qui non dissensionis est Deus, sed pacis (2), vix satis exprimere possunt Concilii Patres: haud certe temperare valent a memorandis gravibus istis sapientissimi Pontificis Benedicti XIV verbis: « Co-  
« hibeatur itaque scriptorum licentia, qui, ut aiebat  
« Augustinus, *sententiam suam amantes non quia vera  
« est, sed quia sua est* (3), aliorum opiniones non  
« modo improbant, sed illiberaliter etiam notant at-  
« que traducunt. Non feratur omnino privatas sen-  
« tentias, veluti certa ac definita Ecclesiæ dogmata  
« a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris

(1) Ac. Ap., xx, 28.

(2) I. Cor., xiv, 33.

(3) Conf., lib. xii, c. 25.

« insimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dis-  
 « sidia inter doctores aut feruntur aut foveantur, et  
 « christianæ caritatis vincula persæpe obrumpun-  
 « tur (1). »

3° Quo magis fervet hodierna de rebus politicis concertatio, eo attentiores sint oportet qui in hanc arenam descendunt. Attendant imprimis Clerici quot et quantis periculis plena sit illa controversia, ipsi plerumque parum vel minime opportuna. Prius igitur quam adversus hostes adeo versutos bellum committere audeant, vires ponderent; ne forte causa cui, si bene defensa fuerit, certa spes affulget victoriæ, ipsorum imperitia periclitetur, vel etiam infelicem habeat exitum. Sed præsertim nihil agant in iis presbyteri, nisi cõsulto et annuente Episcopo. Scriptores vero, quicumque sint, omnino caveant ne, ad reconcilians, ut aiunt, cum Ecclesia populos, sive sub alio etiam boni obtinendi pretextu, ipsius Ecclesiæ constitutionem divinam et immutabilem deprimant ad tot vicissitudinum discrimina, quibus societates humanæ sunt obnoxia: ne et ipsi in eam incidant, quæ damnata est ut hæretica, doctrinam ex qua a (2) *communitate fidelium in pastores derivaretur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas.*

Si autem quandoque politicæ quæstiones religionem et spiritualia attingant, tunc pro norma sentiendi vel scribendi assumant quod in Ecclesiæ documentis et

(1) Const. *Sollicita* 11 sept. 1753.

(2) Const. *Auctorem fidei*, Prop. II.

in constitutionibus Summorum Pontificum recentioribus sancitum est; in Encyclica præsertim Gregorii XVI, diei 15 augusti, anni 1832, quam sese omnino recipere ac reverenter amplecti, ut par est, Patres Concilii profitentur.

4° Neque demum non moniti dimittendi sunt auctores ipsi qui de rebus philosophicis aut etiam historicis tractant. Summopere a fallaci illo haud ita pridem invento, philosophiæ systemate caveant, quod plane improbandum, cum eodem Summo Pontifice declaramus (1). In quibusdam enim recentiorum libris, adhuc non pauca reperire est istius falsi systematis vestigia, illorum scilicet quibus adeo placet, sicuti dicitant, auctoritas, ut, illa tacente, nulla certitudine gaudere audeant; quique dum fidem extollunt et rationem plus æquo deprimunt, fidei simul et rationis fundamenta convellentes, ruinam utrique, quod Deus avertat, luctuosissimam parant. Inde (et hæc sibi dicta reputent juniores clerici) facile patet quanta omnibus immineant errorum pericula, qui vias a patribus tritas contemnentes, novitatumque vano amore delusi, sanis theologiæ regulis et institutionibus fastidientes valedicunt.

(1) Epist. Encycl. *Singulari* nos. 7 kal. jul. 1834.

## DECRETUM XXIV.

## De Beatissima Virgine Maria.

Omni cura et studio obsequi volentes sanctissimi Patris nostri Pii Papæ IX litteris datis Cajetæ die 2<sup>a</sup> februarii, anni præsentis; insuper et pro viribus suis, intendentes promovere quidquid ad majorem beatissimæ Mariæ gloriam et laudem conducere potest, Patres Concilii Rhedonensis manifestam et publicam faciunt suam, cæteroquin communem clero populoque totius provinciæ, firmam ac certam persuasionem de Virginis Deiparæ Conceptione Immaculata.

Hanc igitur doctrinam, nempe sanctam Dei Genitricem Mariam, præveniente et operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed præservatam omnino fuisse a labe originis, tenent et amplectuntur, tanquam piissimam et adeo consonam sacræ Scripturæ, traditioni, cultui ecclesiastico et rectæ rationi; ut, ad illius confirmandam certitudinem solemne tantummodo deesse videatur iudicium Sedis Apostolicæ. Magnopere autem exoptant hunc tandem sanctissimæ Virgini decerni honorem, ut veluti doctrina Ecclesiæ Catholicæ, definiatur ipsius Conceptionem ab omni prorsus originalis culpæ labe immunem fuisse.

Interea frequentius et fervidius exorent pastores et

fideles illam sanctissimam Virginem *quæ inter Christum et Ecclesiam constituta est* (1) *tota suavis et plena gratiarum*, ut materni sui animi miserans affectu, velit præsentissimo æque ac potentissimo suo apud Deum patrocinio, et divinæ iracundiæ flagella, quibus propter peccata nostra affligimur, avertere, et turbulentissimas malorum procellas quibus ubique jactatur Ecclesia Christi, compescere, dissipare et luctum nostrum convertere in gaudium.

Quam adhortationem ut valentiolem, si fieri possit, efficiant suo præeunti exemplo, Synodi Rhedonensis Patres Mariam, initio et decursu grandis operis suscepti, ab eis sæpissime invocata, etiam nunc, Synodo exeunte, enixius invocant ut dignetur benedicere fructui laborum suorum, necnon semetipsos suosque greges totamque Provinciam Turonensem iterum atque iterum commendant benignæ sanctissimæ Virginis tutelæ, quia *sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per MARIAM.*

(1) S. Bernard. Serm. in Cap. 12. Apoc.

## DECRETUM

## INDICTIONIS PROXIMÆ SYNODI PROVINCIALIS.

Nos Franciscus Nicolaus Magdalena MORLOT, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Archiepiscopus Turonensis,

De consilio et consensu Reverendissimorum Coepiscoporum, decernimus et indicimus proximam Synodum provincialem, apud Turones celebrandam, ad diem primum mensis septembris anni 1852.

## DECRETUM DE FINE CONCILII.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos Franciscus Nicolaus Magdalena MORLOT, Archiepiscopus Turonensis, Provinciæ Turonensis Concilio finem facimus, et nunc jam factum esse decernimus.

## SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Rhedonis, die 28 novembris 1849.

† Ego FRANCISCUS NICOLAUS MAGDALENA Archiepiscopus Turonensis, definiens subscripsi.

† Ego CAROLUS Episcopus Venetensis, definiens subscripsi.

† Ego JOANNES BAPTISTA Episcopus Cenomanensis, definiens subscripsi.

† Ego JOSEPHUS MARIA Episcopus Corisopitensis, definiens subscripsi.

† Ego JACOBUS JOANNES PETRUS Episcopus Briocensis, definiens subscripsi.

† Ego GODEFRIDUS Episcopus Rhedonensis, definiens subscripsi.

† Ego GULIELMUS Episcopus Andegavensis, definiens subscripsi.

† Ego ALEXANDER Episcopus Nannetensis, definiens subscripsi.



# ACTA

CONCILII

## PROVINCIAE TURONENSIS.

---

Provincialis synodus nulla, ab anno 1583, coacta fuerat in Provincia Turonensi quæ, in præteritis retro seculis decore Conciliorum emicuerat, et nostris etiam in diebus, pietate, religione, cæterisque christianis virtutibus inter omnes insignis apparet.

Cum autem rerum politicarum stupendas inter vicissitudines subito spes affulserit libertatis Ecclesiæ vindicandæ in instaurandis Conciliis, anno iv pontificatus sanctissimi Patris nostri Pii Papæ IX, anno autem vii archiepiscopatus sui, Reverendissimus DD. Franciscus Nicolaus Magdalena Morlot, Turonensis Archiepiscopus, de consensu Episcoporum comprovincialium, provinciale Concilium cogendum statuit et decrevit, ad illud celebrandum civitatem Rhedonensem designavit, decretum indictionis condidit et promulgavit, atque ad omnes provinciæ Turonensis Coepiscopos direxit vii idus octobris, anno Domini MDCCCXLIX.

Die autem ix novembris, quæ erat in feria vi, juxta præfatum decretum, in ædibus majoris seminarii Rhedonensis una convenerunt Reverendissimus Archiepiscopus Turonensis, RR. Episcopi insignis Metropolis Turonensis suffraganei, necnon omnium Ecclesiarum cathedralium Canonici procuratores et monasteriorum Abbates. Episcopi vero,

Abbatēs et Canonici, intra seminarii claustra, per spatium 20 dierum, habitaverunt, donec omnia conciliariter absolventur. Diei horæ singulæ fuerunt ordinate distributæ ita ut oratio, aliæque pietatis opera, sibi cum assiduo labore decretorum conficiendorum, recte succederent. Omnibus sic in ordine compositis, Patres, cum cæteris adstantibus, intimo animi et etiam quasi aperto oculorum sensu percipiebant quomodo Christus fideliter promissa exsolveret: « Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. » (Matth. xxviii. 18.) « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. » (Ibid. cap. xviii. 20.) Ideoque ut uno verbo tota agendi ratio comprehendatur Rhedonensium in Concilio degentium, illud apostolicum effatum in medio proferre sufficiat: « Erat omnibus cor unum et anima una. » (Act. Apost. iv. 32.)

#### CONGREGATIO PRIVATA PRIMA.

Anno Domini 1849, die vero ix mensis nov. habita est congregatio prima privata, cui interfuere soli Episcopi, præside Reverendissimo Metropolitano: Ibi aderant:

Reverendissimus Carolus Joannes DE LA MOTTE DE BROONS ET DE VAUVERT, Episcopus Venetensis;

Reverendissimus Joannes Baptista BOUVIER, Episcopus Cenomanensis;

Reverendissimus Joseph Maria GRAVERAN, Episcopus Corisopitensis;

Reverendissimus Jacobus Joannes Petrus LE MÉE, Episcopus Briocensis;

Reverendissimus Godefridus BROSSAIS-SAINT-MARC, Episcopus Rhedonensis;

Reverendissimus Gulielmus Laurentius Ludovicus ANGBAULT, Episcopus Andegavensis;

Reverendissimus Antonius Mathias Alexander JACQUEMET, Episcopus Nannetensis.

Secundum ordinem antiquitatis seu prioritatis inaugurationis suæ Episcopi consederunt.

Post præviam deliberationem, RR. Episcopi statuunt:

1° De eligendis Concilii adjutoribus seu officariis, nempe promotoribus, secretariis, notariis et cæremoniarum magistris;

2° De examinandis litteris procuratoriis Canonorum a Capitulis delegatorum;

3° De eligendis, et in congregatione generali prima Concilii proclamandis illis qui theologi et canonistæ a RR. Episcopis adhiberentur;

4° De Missa in aperienda Synodo quæ dicitur *de Spiritu Sancto*, dominica proxime ventura. De rite observandis omnibus in cæremoniali Concilii præscriptis; deinde de reditu processionali ad seminarium post missæ solemniam et de reliquiis beatorum Pontificum Rhedonensium ab ecclesia ad sacellum seminarii deferendis et exponendis usque ad Concilii conclusionem;

5° De R. Abbatibus Regularibus qui mitram, non vero pastorale pedum, gestabunt;

6° De statuenda regula vivendi in Concilio quæ in congregatione generali prima omnibus denunciabitur;

7° De ordine servando a Canonicis a Capitulis delegationem habentibus, qui incedent et sedebunt juxta eundem ordinem respectivorum Episcoporum;

8° De Canonicis honorariis, ad Concilium a Capitulis quibusdam deputatis, qui admittentur, sicuti in Conciliis ante actis, Ebredunensi v. g. an. 1727, fuerunt admissi;

9° De sex Congregationibus constituendis, quæ assiduam operam ad diversas quæstiones elucidandas, et de septima Congregatione quæ de decretis in forma convenienti conscribendis adlaborabit;

10° De publicanda, juxta cæremonialis præscriptum, congregatione generali prima, quæ omnibus prænuntiabitur in crastinam diem primo mane per tabellam, sive Ecclesiæ Cathedralis januis, sive seminarii mœnibus affixam; de convocandis congregationibus generalibus, pulsatis Ecclesiæ Cathedralis campanis;

11° De habitu deferendo in congregationibus.

Huncque finem habuit prima congregatio privata, et paulo post, in modo præscripto de indictione congregationis generalis primæ, affixa est tabella, cujus forma hic subsequitur:

« Illustrissimus ac Reverendissimus DD. Archiepiscopus Turonensis, Reverendissimi DD. Episcopi, Patres Concilii, universis et singulis qui Concilio Provinciali de jure vel consuetudine interesse debent, mandant et præcipiunt ut die x mensis novembris, anni 1849, hora tertia pomeridiana in ædibus seminarii Rhedonensis sistant se pro congregatione generali habenda, et ut procuratores et deputati procuratoria ibidem examinanda afferre non prætermittant.

« De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi Turonensis: Vrignaud, secretarius. »

Cum autem die x nov., quæ erat sabbati, magistratus omnes, non solum Rhedonensis curiæ appellationum, sed etiam aliorum tribunalium ad ejus jurisdictionem pertinentium præsides et procuratores, convenire deberent juxta decretum potestatis civilis ad novam et solemnem auctoritatis judiciariæ inaugurationem, reverenter votum emisissent supra laudati magistratus ut Concilii Patres cæterique omnes ad Concilium congregati, huic inaugurationi interesse vellent, missaque solemnis in Ecclesia Cathedrali ab uno ex RR. Patribus celebraretur. Hoc quidem votum benigne acceperunt Patres, et a DD. Episcopo Cenomanensi missa dicta est *de Spiritu Sancto*, coram Patribus magistratibusque omnibus adstantibus. Deinde, magno cum apparatu, ad curiam cuncti

processere, ubi diversis adlocutionibus præhabitis, juramentum præstiterunt magistratus, sicque novam, ex constitutione Reipublicæ, habuerunt institutionem.

#### CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

Die x nov., anni 1849, hora tertia pomeridiana, in ædibus majoris seminarii Rhedonensis, habita est congregatio generalis prima, cui adfuerunt omnes Concilii Patres, supra nominati, præside Metropolitano; interfuerunt insuper:

R. Domnus Prosper Guéranger, Abbas monasterii de Solesmis, ordinis S. Benedicti;

R. Domnus Franciscus-Assisius Couturier, Abbas monasterii de Portu Salutis, ordinis Cisterciensis B. Mariæ de Trappa;

R. Domnus Maximus Malouin, Abbas monasterii de Mel-lareio, ejusdem ordinis;

Capitulorum cathedralium Procuratores; theologi denique et canonistæ Concilii.

Congregatio generalis prima ab invocatione Spiritus Sancti precibusque præscriptis initium sumpsit, deinde sedentibus omnibus, RR. Metropolitanus orationem puris et electis verbis compositam, protulit.

Cum perorasset RR. Archiepiscopus, regula vivendi in Concilio ab omnibus tenenda legitur. (Vid. infra.)

Deinde litteras procuratorias exhibent a Capitulis delegati, quæ RR. Episcopi Cenomanensis et Episcopi Nannensis examini subjiciuntur. Quæ cum in debita et legitima forma consistere a RR. Præsulibus declarata fuissent, admittuntur delegati:

Scilicet:

A Capitulo sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis,

D. Bruchet, Canonicus Archipresbyter, D. Bourassé, Canonicus;

A Capitulo Venetensi, D. Bertin et D. Flohy, Canonici;

A Capitulo Cenomanensi, D. Hamon et D. Heurtebize, Canonici;

A Capitulo Corisopitensi, D. Mével, Canonicus, et D. Jégou, Canonicus ad honores;

A Capitulo Briocensi, D. Souchet et D. Le Breton, Canonici;

A Capitulo Rhedonensi, D. Frain, Vicarius generalis, et D. Debroise, Canonicus;

A Capitulo Andegavensi, D. Menard et D. Delaunay, Canonici;

A Capitulo Nannetensi, D. Litoust et D. Jubineau, Canonici;

Tum a Patribus Concilii theologi et canonistæ nominati sunt, qui sequuntur :

D. Malmouche, Vicarius generalis, majoris seminarii Turonensis Superior, a RR. Archiepiscopo Turonensi;

D. Le Joubioux, Canonicus, et D. Le Blanc, Canonicus ad honores, minoris seminarii Venetensis Superior, a RR. Episcopo Venetensi;

D. Chevereau et D. Vincent, Vicarii generales, a RR. Episcopo Cenomanensi;

D. Sauveur, Vicarius generalis et Canonicus, et D. Goujon, Vicarius generalis et majoris seminarii Corisopitensis Superior, a RR. Episcopo Corisopitensi;

D. Bigrel, Vicarius generalis, et D. Menard, Canonicus ad honores, a RR. Episcopo Briocensi;

D. Combes, Canonicus, a RR. Episcopo Rhedonensi;

D. Bernier, Vicarius generalis, et D. Helly, majoris seminarii Andegavensis Superior, a RR. Episcopo Andegavensi;

D. Carrière, Vicarius generalis Parisiensis, sacræ theo-

logiæ professor in Majori Seminario sancti Sulpicii, et D. Vrignaud, Vicarius generalis, a RR. Episcopo Nannetensi.

Capitulorum procuratores, theologi et canonistæ sessionem habebunt juxta sessionis ordinem Episcoporum respectivorum.

RR. Metropolitanus sequentes nominavit Concilii adjuutores seu officarios :

Promotores, D. BERNIER, Vicarium generalem Andegavensem, et D. CHEVEREAU, Vicarium generalem Cenomanensem;

Secretarios, D. BRUCHET, Canonicum Archipresbyterum Turonensem; D. VRIGNAUD, Vicarium generalem Nannetensem, et D. JÉGOU, Canonicum ad honores Corisopitensem;

Notarios, D. LE BRETON, Canonicum Briocensem; D. LE JOUBIOUX, Canonicum Venetensem, et D. BOURASSÉ, Canonicum Turonensem.

Magistros cæremoniarum, D. DESNOS, Canonicum Rhedonensem, et D. RAGUIDEAU, Canonicum ad honores Nannetensem.

Congregationes speciales sic constitutæ fuerunt :

1<sup>a</sup> Congreg. : *De divina constitutione Ecclesiæ et hierarchia ecclesiastica.* — RR. Episcopus Corisopitensis, præses; R. Abbas monasterii de Portu Salutis, vice-præses; D. Malmouche, D. Goujon et D. Le Joubioux.

2<sup>a</sup> Congreg. : *De fide et doctrina.* — RR. Episcopus Briocensis, præses; D. Bernier, vice-præses; D. Mével, D. Hamou, D. Bourassé et D. Menard, Briocensis.

3<sup>a</sup> Congreg. : *De Cultu divino.* — RR. Episcopus Venetensis, præses; R. Abbas monasterii de Mellareio, vice-præses; D. Frain, D. Souchet, D. Flohy, et D. Menard, Andegavensis.

4<sup>a</sup> Congreg. : *De administratione sacramentorum.* — RR.

Episcopus Cenomanensis, præses; D. Vincent, vice-præses; D. Bigrel, D. Le Breton, D. Delaunay.

5<sup>a</sup> Congreg. : *De disciplina ecclesiastica*. — RR. Episcopus Andegavensis, præses; D. Heurtebize, vice-præses; D. Helly, D. Bertin et D. Jubineau.

6<sup>a</sup> Congreg. : *De studiis ecclesiasticis*. — RR. Episcopus Rhedonensis, præses; R. Abbas monasterii de Solesmis, vice-præses; D. Sauveur, D. Debroise, D. Combes et D. Le Blanc.

7<sup>a</sup> Congreg. : *De decretis*. — RR. Episcopus Nannetensis, præses; D. Carrière, vice-præses; D. Chevereau et D. Lioust.

Statuit denique RR. Metropolitanus illa quæ sequuntur :

1<sup>o</sup> Crastina die, xi nov., solemniter habebitur prima sessio Concilii in ecclesia cathedrali Rhedonensi;

2<sup>o</sup> Univerſa Synodus e palatio episcopali ad ecclesiam catholicam processionaliter procedet hora nona matutina, secundum ordinem in cæremoniali descriptum;

3<sup>o</sup> Nemini eorum ex quibus constat Concilium, absque legitima causa, donec absolvatur Concilium, abire licet, atque sine facultate sibi rite concessa;

4<sup>o</sup> Decreta *de aperienda Synodo, de modo vivendi in Concilio, de professione fidei catholice*, in prima Synodi sessione palam recitabuntur.

Huncque finem habuit congreg. gen. prima.

Regula vivendi in Concilio a RR. Metropolitanis constituta.

1<sup>o</sup> Hora quinta cum dimidia matutina, signo dato, omnes surgent.

2<sup>o</sup> Hora sexta, in sacello, oratio, deinde missa.

3<sup>o</sup> Hora septima cum tribus quadrantibus jentaculum. — Dum capientur cibi, primo caput Scripturæ sacræ, postea liber a præside Concilii designatus e pulpito recitabitur.

4<sup>o</sup> Intra horam nonam matutinam et horam undecimam, et intra horam tertiam pomeridianam et horam quintam congregationes habebuntur.

5<sup>o</sup> Hora meridiana prandium; quo expleto omnes ad sacellum progredientur recitaturi : « Angelus Domini, etc. »

6<sup>o</sup> Usque ad horam secundam pomeridianam deambulatio et animi relaxatio.

7<sup>o</sup> Hora septima cum dimidia cæna.

8<sup>o</sup> Hora octava cum tribus quadrantibus, in sacello, vespertina oratio. — Ibidem meditationis objectum suggeretur.

9<sup>o</sup> Privatim ab omnibus officium canonicum recitabitur.

10<sup>o</sup> Excepto recreationis tempore, silentium ab omnibus servabitur.

## ACTA IN APERIENDO CONCILIO.

### SESSIO PRIMA.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, PATRIS, FILII, et SPIRITUS SANCTI. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo quadragesimo nono, die XI novembris, quæ erat dies dominica et festivitas B. Martini Turonensis Episcopi, habita est prima sessio Concilii Provinciæ Turonensis, in ecclesia cathedrali Rhedonensi, in ea forma quæ sequitur.

Hora octava cum dimidia matutina, Concilii Patres, Reverendissimus scilicet Archiepiscopus Turonensis, et RR. Episcopi ejus suffraganei, nempe Venetensis, Cenomanensis, Corisopitensis, Briocensis, Rhedonensis, Andegavensis et Nannetensis; Capitulum Rhedonense; Reverendi monasteriorum Abbates, de Solesmis scilicet, de Portu Salutis et de Mellareio; Capitulum cathedralium procuratores; theologi Concilii et canonistæ, ad episcopale palatium civitatis Rhedonensis convenerunt.

Hora nona matutina, ad cathedralem ecclesiam omnes processerunt, juxta ordinem in cæremoniali præscriptum:

1° Clerici et Sacerdotes plurimi e civitate, etc., etc., propter solemnitatem congregati;

2° Canonici ad honores;

3° Delegati a Capitulis, cappis rubri coloris induti;

4° Concilii adjutores seu officarii, in habitu canoniali;

5° R. monasteriorum Abbates, cappis induti, capite mitram habentes;

6° Capitulum Ecclesiæ Rhedonensis collegialiter procedens;

7° DD. de la Hailandière, Episcopus quondam Vincennesis in America, cum mitra, sine baculo pastorali;

8° RR. Episcopi, Patres Concilii, cappis induti, cum mitra auriphrygiata et baculo pastorali, comitantibus capellanis;

9° Denique Reverendissimus Turonensis Archiepiscopus, Concilii præses, cum mitra pretiosa et pedo pastorali, cappa pretiosa indutus; duobus Archidiaconis hinc et inde assistentibus; præcedentibus vero clericis ministris, tunicis vel dalmaticis indutis.

De jussu autem Generalis Ducis in urbe Rhedonensi imperantis, comitabantur, honoris causa, clerum et præsertim RR. Patres, equitum turma peditumque caterva, ante et post processionem et ex utroque pariter latere incedentes.

Omnium ecclesiarum campanæ pulsabantur dum per urbis vias transiret cum illo solempni apparatu, totus Concilii cœtus sacer, inter maximam populorum frequentiam.

Omnibus ecclesiam cathedralem ingressis, resedit RR. Archiepiscopus in throno suo, sederunt RR. Episcopi in faldistoriis, ex utraque parte sanctuarii, Capitulum Rhedonense, R. Abbates in sedilibus sibi paratis, Concilii officarii, Capitulum procuratores, theologi et canonistæ in subselliis in sanctuario circumpositis.

Interea RR. Archiepiscopus, ornamentis pontificalibus et pallio indutus, ad medium altare progressus est ibique missam incœpit, quæ solempni ritu decantata est *de Spiritu Sancto*. Post orationem *Libera nos, quæsumus*, etc., Metropolitanus celebrans benedictionem pontificalem decantavit quæ in cæremoniali notatur.

Post verba *Agnus Dei*, etc., ad altare accessit R. Episcopus primus inter Concilii Patres adscriptus ut acciperet a

Celebrante osculum pacis, quod ad Coepiscopos transmisit. Quod similiter factum est a monasteriorum Abbatibus et Canonicis. Deinde, postquam communionem sumpsit Metropolitanus, omnes tum Episcopi, tum Abbates, Canonici, theologi et canonistæ, secundum ordinem cuique proprium, ad summum altaris gradum genua flectentes, e manibus RR. Archiepiscopi sacram Eucharistiam susceperunt.

Missæ paractæ, RR. Metropolitanus ad populum gallico idiomate concionem habuit.

C'est un magnifique spectacle, mes Frères, que celui dont vos regards sont frappés en ce moment. Quel cœur pourrait y être indifférent, je ne dis pas seulement parmi les plus éclairés des divines lumières et les plus intelligents dans les choses de la religion, mais encore parmi ceux qui sont tant soit peu susceptibles de sensibilité et d'émotion à la vue de ce qui est grand, de ce qui est beau, de ce qui porte aux graves pensées et aux sérieuses réflexions ?

Que se passe-t-il donc dans ce temple auguste ? Rien autre chose, il est vrai, que ce que vos pères y ont vu plus d'une fois, que ce qui s'est observé dans l'Église dès le temps des Apôtres, et n'a jamais été interrompu que par des obstacles passagers. Mais enfin il ne faut pas moins remonter jusqu'au xiv<sup>e</sup> siècle, pour retrouver la date du dernier Concile dont votre illustre cité a été témoin. Et si, depuis cette lointaine époque, on a vu de ces saintes assemblées se reproduire encore, soit dans l'antique métropole, soit dans d'autres villes appartenant à sa vaste circonscription ; si les célèbres réunions connues sous le nom d'*Assemblées du clergé*, ont pu, depuis, suppléer parfois aux Conciles interrompus, n'est-il pas vrai qu'après tant et de si longues lacunes, on est frappé d'admiration, on est saisi d'un sentiment inexprimable de joie et d'espérance, en assistant à cette calme et majestueuse reprise de possession qui s'accomplit en ce mo-

ment ; en contemplant non-seulement cette merveille, où le doigt de Dieu se montre si visiblement, mais les circonstances qui l'ont précédée et celles qui l'accompagnent ?

Que d'événements, mes Frères, depuis le dernier Concile célébré dans votre cité ! Et, sans aller si loin, que de révolutions, que de bouleversements, que de catastrophes dont nous avons été témoins ! et à quelles crises douloureuses, à quelles terribles épreuves n'a pas été soumise elle-même cette Église de Jésus-Christ dont vous vous glorifiez d'être les enfants toujours fidèles ? Ses aveugles adversaires et ses persécuteurs ingrats ont cru plus d'une fois l'avoir accablée et anéantie sous les ruines ; mais, vous le savez, et chaque jour, pour ainsi dire, vous en apportez une preuve nouvelle, les attaques de tous les genres, les luttes, les violences, les persécutions acharnées finissent pour elle autrement que pour les institutions humaines. Ces épreuves passent, et elle survit. Ceux qui se font ses ennemis tombent parce qu'ils ne sont que des hommes ; et elle survit parce qu'elle est immortelle. Parfois, sur cette mer orageuse qu'elle traverse, les flots déchaînés l'accablent, les ténèbres l'enveloppent, on dirait qu'elle est engloutie ou qu'elle va se briser contre d'épouvantables écueils ; déjà quelques-uns poussent des cris de joie, et même parmi les fidèles, il en est qui se troublent et s'épouvantent ; puis la petite barque du pêcheur reparaît, faible, chancelante, meurtrie par les orages ; mais elle survit, et le flot qui la porte doucement, roule autour d'elle les débris de ces grandes machines de guerre qui tout à l'heure devaient l'écraser ; et celui qui gouverne ici-bas cette barque mystérieuse, dépositaire des pouvoirs du divin fondateur de l'Église, comme il est l'héritier de la mission laborieuse et douloureuse de son maître, le vicaire de Jésus-Christ, qu'il se nomme Pierre ou Pie IX, qu'il soit mis en croix comme le premier ou qu'il mène une vie errante ayant à peine où reposer sa tête, transmet

intact à ceux qui viennent après lui un dépôt qui ne périclète pas, des promesses qui ne trompent jamais et des espérances pleines d'immortalité.

Voilà pourquoi, mes Frères, les vrais enfants de l'Église ne doivent être ni surpris ni ébranlés à la vue des vicissitudes auxquelles elle est exposée. « Si le siège de Pierre était déplacé, disait un grand évêque, il ne pourra jamais être détruit. Si on peut lui ôter sa splendeur, on ne lui ôtera jamais sa force. Partout où il se transportera, tous les Catholiques le suivront, parce que partout où il sera, là sera la tige de la succession apostolique, le centre du gouvernement spirituel, et le dépôt sacré de la foi et des traditions divines. »

Voilà pourquoi encore, tout en admirant l'action de la sainte Providence qui nous réunit en ce moment, pasteurs et fidèles, pour une œuvre si grande, vous devez être moins étonnés que réjouis de voir que si, d'un côté, tout change et se bouleverse, de l'autre les destinées de l'Église, qui ne dépendent ni des hommes ni des événements, s'accomplissent persévéramment, en vertu de la parole du Seigneur, sur laquelle ni le temps ni les passions humaines ne peuvent rien.

C'est ainsi que nous nous trouvons réunis aujourd'hui dans cette ville où siégèrent en Concile, il y a six cents ans, nos pères vénérés, occupés des mêmes pensées, professant la même foi, animés des mêmes sentiments, chantant les mêmes cantiques, observant les mêmes rites sacrés, portant vers le ciel les mêmes vœux, les mêmes espérances. Qu'il est doux de pouvoir ajouter : entourés, comme ils l'étaient alors, d'un peuple toujours digne de sa vieille renommée !

Oh ! ne vous semble-t-il pas, mes Frères, comme il nous paraît à nous-mêmes, que ces augustes Pontifes des temps anciens, se lèvent de leur sépulcre pour nous adjurer, nous leurs successeurs, de ne rien dire, de ne rien faire qui ne

soit digne d'eux, et vous, mes Frères, de ne jamais dévier du chemin qu'ont suivi vos ancêtres !

Appuyés sur ces glorieux souvenirs, contemplant cette immense nuée de témoins qui, du haut des cieux, applaudissent à nos efforts et les encouragent ; au nom et avec les bénédictions du Pontife suprême et bien-aimé que ses tribulations nous rendent plus cher encore, nous poursuivrons dans une sainte retraite, ce que nous commençons au pied des autels et au milieu du pieux concert de vos prières et de vos vœux. Si le divin ministère dont nous sommes chargés, ne cesse pas de s'exercer en tous temps et en tous lieux, avec la vertu qui lui est propre, cette vertu doit éclater avec plus de puissance et de majesté lorsqu'il est donné aux successeurs des Apôtres de se rapprocher, de délibérer ensemble, dans l'unique préoccupation de la gloire de Dieu et du salut des âmes, sur l'état de l'Église, sur ses souffrances et ses besoins, sur les maux et sur les remèdes, en un mot sur les moyens les plus propres à affermir et à consolider le bien, à ranimer toutes les langueurs, à exciter le zèle et à rendre plus fructueuses de jour en jour, ces fonctions sublimes qui font de nous prêtres et pasteurs, des hommes dévoués à tous vos intérêts présents et futurs. Aussi est-il d'expérience que jamais ces saintes assemblées n'ont été convoquées sans qu'il en rejailût d'immenses bénédictions sur le clergé et sur le saint ministère, pour le bonheur des peuples, si étroitement lié à l'action qu'exerce sur eux la religion, à sa douce et bienfaisante influence dans le monde.

Aidez-nous donc, mes Frères ; soyez notre appui et notre force par votre ardente piété pendant nos travaux, de même que vous serez un des plus beaux ornements de ce saint Concile, par la part que vous prendrez à nos cérémonies publiques et solennelles. Joignez vos ferventes prières à celles que nous osons espérer de l'auguste Vierge que le Clergé nomme sa reine, que nous appelons tous notre mère ; à



celles du grand saint Martin, la gloire de notre Métropole et la perle des Prêtres, et de tous les patrons et protecteurs de ce beau diocèse, de tous nos diocèses, de toutes nos églises. Que nous obtenions ainsi l'abondance des lumières et l'onction de la grâce, afin que notre œuvre, s'accomplissant dans la sainteté et la justice, soit féconde en fruits de salut.

Vous réjouirez ainsi le cœur de votre Évêque, de celui qui nous accueille dans la ville où ses vertus et ses mérites sont si bien appréciés, avec une telle bienveillance, qu'elle nous ferait oublier, s'il était possible, et la peine d'une séparation toujours douloureuse, et les regrets que nous partageons si vivement avec ceux qui vous envient les grandes solennités dont vous êtes témoins.

Pensez à ces augustes Pontifes qui environnent le saint autel et qui sont la gloire et l'honneur de l'Église, à ces vénérables disciples de saint Benoît et de saint Bernard, anges de la solitude qui se sont arrachés de leurs saintes retraites pour nous apporter des trésors de sagesse et de science. La présence de cette majestueuse réunion dans vos murs ajoutera une page de plus aux plus belles pages de votre histoire. Pensez à ce Clergé si imposant par ses lumières et par sa piété, dont l'assistance, soit dans les travaux journaliers du Concile, soit à nos solennelles sessions, est un bienfait que vous devez apprécier, comme nous le faisons nous-mêmes, à sa haute valeur. Que par vos prières et vos bonnes œuvres le Concile de Rennes soit à jamais un des plus saintement mémorables, un de ceux dont l'auguste majesté et les précieux travaux laissent d'impérissables souvenirs !

Sermone absoluto, RR. Metropolitanus cappa pretiosa mitraque ornatus, ad medium altare ascendit, ibique in faldistorio sibi parato resedit, circumsedentibus Patribus et omnibus Concilii membris, ordine supra recensito.

Liber sacrorum Evangeliorum in throno magnifice decorato, cui inhærebat crux archiepiscopalis, honorifice in medio depositus est.

Omnibus ita dispositis, postquam recitatae sunt orationes in caeremoniali præscriptæ, D. Bruchet, Canonicus Archipresbyter Turonensis, unus e secretariis, e suggestu, alta et clara voce promulgavit decreta : 1° *De aperienda Synodo* ; 2° *De modo vivendi in Concilio* ; 3° *De professione fidei emittenda*.

Hisque peractis, secretarius, e suggestu, promulgavit sequens decretum de secunda sessione habenda :

« Illustrissime et Reverendissime Domine, Reverendissimi Patres, placetne vobis secundam sessionem fore die xviii nov. quæ erit dies dominica, ita tamen ut ad aliam diem transferri vel prorogari possit, si pro rebus Concilii bene gerendis, conducere videbitur? »

Secretarius, votis Patrum de more exquisitis et relatis, RR. Archiepiscopus dixit : « Decretum placuit Patribus, ideo habebitur secunda sessio die xviii præsentis mensis. »

Denique RR. Archiepiscopus cunctis adstantibus solemniter benedixit ; huncque finem habuit sessio prima Concilii Rhedonensis.

Postea eodem ordine ac de palatio episcopali processerant, ad seminarium redierunt omnes cum Reliquiis sanctorum Pontificum Rhedonensium, honorifice in sacello majoris seminarii collocandis.

Hæc sessio prima quæ hora nona matutina incœperat, hora secunda pomeridiana absoluta est.

#### CONGREGATIO PRIVATA SECUNDA.

Anno 1849, die vero xii nov. habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus majoris seminarii Rhedon., a RR. Archi-

episcopo secunda congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

RR. Archiepiscopus, Concilii præses, præhabita oratione consueta, dicit nunc esse a Patribus, Deo adjuvante, assidue disserendum de omnibus et singulis quæ ad finem Synodi provincialis procurandum attinent, iisque toto animo incumbendum esse, absque ulla intermissione. Statimque instituitur deliberatio de quæstionibus quamplurimis et de negotiis gravibus variis quæ Patrum examini et iudicio subjiuntur.

Hunc finem habuit congregatio privata secunda.

#### CONGREGATIO PRIVATA TERTIA.

Anno 1849, die vero XIII nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo tertia congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Patres statuunt litteras esse nomine Concilii scribendas: 1° Duci Generali, divisioni militari in urbe Rhedonensi imperanti; 2° Præfecto civili districtus qui dicitur vulgo *Département d'Ille-et-Villaine*; 3° urbis Majori et civitatis Magistratibus, quibus grates persolventur de omnibus bene actis propter honorem Concilii in solemnitatibus scilicet diei dominicæ nuper elapsæ. Deinde Patres ordinant et prosequuntur longam et maturam deliberationem de quæstionibus ad Concilium proprie spectantibus et de laboribus decretorum efformandorum recte dirigendis.

Huncque finem habuit congregatio privata tertia.

#### CONGREGATIO PRIVATA QUARTA.

Anno 1849, die vero XIV nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo

quarta congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Legitur decretum quod inscribitur *de constitutione Ecclesiæ, de Summo Pontifice* et alia *de Episcopis, de Presbyteris*, etc., etc., quæ ad congregationem generalem discutienda mox proponuntur, antequam a Patribus definiantur.

In efformandis decretis de administratione Sacramentorum, tria præcipue sunt attendenda, 1<sup>um</sup> scilicet, abusus reformandi, si qui forsitan irrepererint in Provincia Turonensi, 2<sup>um</sup> varietates quæ deprehenderentur et quas diluere opportunum videretur, 3<sup>um</sup> regulæ statuendæ pro quibusdam fortasse circumstantiis de quibus nulla esset mentio nostris in libris Ritualibus.

Crastina die, hora tertia pomeridiana, habebitur congregatio generalis. Huncque finem habuit congregatio privata quarta.

#### CONGREGATIO PRIVATA QUINTA.

Anno 1849, die vero XV nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo sexta congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Quædam addita vel emendata fuerunt in decreto *de Summo Pontifice, de Episcopis*, etc., etc., postquam iterum atque iterum deliberationem produxissent Patres de illis quæstionibus; *de administratione Sacramentorum* similiter longius et mature disseruerunt RR. Episcopi.

Proponentur in congregatione generali examinanda decreta quorum titulus hic supponitur:

De Constitutione Ecclesiæ,

De Summo Pontifice,

De Episcopis,

De administratione Sacramentorum:

1° Circa Baptismum ,

2° Circa Confirmationem.

Huncque finem habuit congregatio privata quinta.

---

#### CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

Anno Dom. 1849, die vero xv nov., habita est hora quarta pomeridiana congregatio generalis secunda, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo Turonensi, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Concilii Patres, una cum monasteriorum Abbatibus, Capitulorum Procuratoribus, theologis atque canonistis.

Post preces consuetas, RR. Archiepiscopus denuntiat a Patribus Concilii concessam fuisse facultatem consistendi in congregationibus generalibus tum Directoribus majoris seminarii Rhedonensis, tum secretariis sive Capellanis RR. Episcoporum, quamvis non sint de Concilio.

Postea legitur a RR. Archiepiscopo formula silentii servandi, ut sequitur :

« Promittis te nihil ex auditis in Concilii congregationibus, sive privatis, sive generalibus, revelaturum, quod in detrimentum eorum ex quibus constat Concilium, cedere, vel reverentiam ipsi Concilio debitam lædere possit? »

Tunc cæremoniarum præfectus omnes et singulos de Concilio nominavit, incipiens a monasteriorum Abbatibus, qui distincte responderunt : « Promitto. »

De aperienda vero sententia circa quæstiones discutiendas, sic statuatur : vocabuntur omnes nominatim ad mentem aperiendam, sed in exquirendo ab unoquoque quid sentiat, mox a Capitulorum cathedralium procuratoribus, mox vero a theologis et canonistis, ad libitum RR. Concilii Præsidis, incipiet appellationem magister cæremoniarum : monasteriorum tamen Abbates ante alios vocabuntur.

Deinde RR. Metropolitanus quinque decreta perlegit ut sequitur :

1° Scilicet, de divina Ecclesiæ constitutione et ecclesiastica hierarchia ;

2° De Summo Pontifice ;

3° De Episcopis ;

4° De administratione sacramenti Baptismi : de illis qui patrini et matrinx admitti possunt ;

5° Denique de administratione sacramenti Confirmationis : de ætate eorum qui ad illud sacramentum suscipiendum admittendi sunt.

Postquam gravis deliberatio diu protracta fuit, finem habuit congregatio generalis secunda.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA SEXTA.

Anno Domini 1849, die vero xvi nov., habita est hora nona matutina et hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo sexta congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Patres deliberationem instituunt de decreto quod inscribitur *de Metropolitano*, de illius præeinentia et jurisdictione ; *de Concilio provinciali*, *de Parochis*.

Die Dominica xviii nov. non habebitur sessio secunda Concilii quæ ad tempus remittitur celebranda.

Huncque finem habuit congregatio privata sexta.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA SEPTIMA.

Anno 1849, die vero xvii nov., habita est hora nona matutina et hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo septima congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Decretum *de Episcopis* a Patribus revisum, post longam deliberationem, approbatur et admittitur.

Statutum fuit a Patribus, crastina die, nempe xviii nov., habendam esse congregationem generalem. Intra hebdomadam proxime venturam, secunda sessio Concilii ritu solemniter celebrabitur.

Leguntur et examini Patrum subjiciuntur, decretorum formulæ *de vicariis, de sacerdotibus habituatis et de sacerdotibus senio confectis aut infirmitatibus detentis*. In cunctis diœcesibus Turonensis Provinciæ, institutiones quæ vulgo dicuntur *Caisses de Secours* constituendas et constabulandas valde exoptant Patres Concilii, ita ut efficaciter provideri possit necessitatibus presbyterorum senio vel infirmitate laborantium.

Admittitur decretum *de quibusdam hujus temporis erroribus fundamenta religionis et societatis subvertentibus*.

Decretum *de Concilio provinciali* iterum discutitur et demum a Patribus approbatur.

Denique decretorum *de novis et falsis mysticis, de proselytismo acatholico et mediis illi obsistendi*, formulæ in medium proponuntur, sed de his posterius disseretur. Huncque finem habuit congregatio privata septima.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA OCTAVA.

Anno 1849, die vero xviii nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, octava congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Decretum *de Synodo diœcesana* ex integro describitur et approbatur.

Circa sacramenti Confirmationis susceptionem quædam a Patribus statuuntur.

Parochi confessiones pluries in anno audient infantium qui ad ætatem rationis pervenerint; illos sollicitè monebunt de vitando peccato, illisque rite dispositis absolutionem imperientur, si opus fuerit, istam absolutionem non differentes usque ad primæ communionis tempus.

Maxima omnibus fidelibus erit libertas quemlibet confessarium ab Episcopo approbatum adeundi, etiam in annuali confessione. Volunt Patres Concilii fideles a Parochis de hac facultate monitos esse.

Cæremoniæ in proxima sessione Concilii observandæ sic a Patribus ordinantur:

1° Sessio secunda Concilii in capella Maj. Sem. Rhed. hora octava matutina habebitur;

2° Campanæ pulsabuntur in Ecclesia Cathedrali;

3° Missa non cantabitur; sed preces sessionibus synodalibus propriæ cantabuntur;

4° Invitabitur capitulum Ecclesiæ Cathedralis;

5° RR. Episcopi procedent omnes cappa rubri coloris induti, cum mitra et baculo pastoralis;

6° Cæteri omnes de Concilio choralem habitum habebunt;

7° Non erit communio generalis;

8° Admittentur in capella Clerici extranei, et etiam laici, seclusis mulieribus, cum sit intra Seminarii claustra.

Huncque finem habuit congregatio privata octava.

---

#### CONGREGATIO GENERALIS TERTIA.

Anno Dom. 1849, die vero xviii nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio generalis tertia, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii, R. Abbates monasteriorum, Capitulorum procuratores, theologi et canonistæ

Concilii, Maj. Sem. Rhedon. Directores et Capellani RR. Episcoporum.

Recitatis orationibus præscriptis et consuetis, RR. Metropolitanus legit decreta quæ sic inscribuntur :

- 1° De Metropolitano ;
- 2° De Concilio provinciali ;
- 3° De Synodo diœcesana.

Omnes et singuli, juxta formam præscriptam, interrogantur : plurimi de plurimis discutunt ; huncque finem habuit congr. gen. tertia.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA NONA.

Anno 1849, die vero XVIII nov., habita est hora quinta vespertina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo nona congregatio privata, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Patres deliberationem instituunt de quæstionibus in Congregatione generali præcedenti agitatis, et denique *de Parochis cæterisque presbyteris.*

Huncque finem habuit congreg. privata nona.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DECIMA.

Anno 1849, die vero XIX nov., habita est hora nona matutina et hora tertia pomeridiana, in ædibus Major. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo decima congregatio privata, cui interfuere omnes Episcopi, Patres Concilii.

Leguntur et discutiuntur tres ultimi articuli decreti contra quosdam hujus temporis errores fundamenta religionis et societatis subvertentes. Decretum illud, ex integro nunc exaratum, approbatur.

Legitur pars constitutionis Summi Pontificis Benedicti XIV, qua redarguitur superba temeritas quorundam auctorum qui

scriptis sæpe sæpius lædunt christianam caritatem, debitanque moderationem in licitis opinionum discursibus omnino tollunt.

Textus hic adductus et memoriæ omnium commendandus, ex integro, quantum fieri poterit, in decreto de moderatione servanda in dictis et scriptis efformando rescribetur et proponetur.

Examinantur decreta *de residentia clericorum, de habitu clericali et tonsura* ; postremo *de foro episcopali* longe disseritur.

Huncque finem habuit congregatio privata decima.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA UNDECIMA.

Anno 1849, die vero XX nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo congregatio privata undecima, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Proponitur et admittitur decretum *de prædicatione verbi divini*, similiter decretum *de Capitulis cathedralibus.*

Quædam addenda proponuntur decreto quod inscribitur *de moderatione servanda in dictis et scriptis*, quæ supræmoro decreto adjicientur.

Huncque finem habuit congregatio privata undecima.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DUODECIMA.

Anno 1849, die vero XX nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio privata duodecima, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

A Patribus longe discutitur de studiis ecclesiasticis et exa-

mini subjicitur decretum quo studia in majoribus minori-  
busque Seminariis ordinantur.

Huncque finem habuit congregatio privata duodecima.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DECIMA TERTIA.

Anno 1849, die vero XXI nov., habita est hora nona matu-  
tina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo  
congregatio privata decima tertia, cui interfuere omnes RR.  
Episcopi, Patres Concilii.

Patres statuunt secundam sessionem Concilii habendam  
esse die sabbati proxima, die scilicet XXIV nov.; sessionem  
autem tertiam die XXVII nov.; sessionem denique quartam,  
quæ erit in concludenda Synodo, die XXVIII nov.

Leguntur et iterum mature perpenduntur decreta quæ pro-  
ponentur examinanda in proxima congregatione generali.

A Patribus admittuntur, post deliberationem præviam, de-  
creta *contra fictitium Misericordiæ opus, de communione  
pascali, de piis sodalitatibus.*

Huncque finem habuit congreg. privata decima tertia.

---

#### CONGREGATIO GENERALIS QUARTA.

Anno Dom. 1849, die vero XXI nov., habita est hora ter-  
tia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Ar-  
chiepiscopo, congregatio generalis quarta, cui interfuere  
omnes RR. Episcopi, Patres Concilii, R. Abbates monas-  
teriorum, Capitulorum procuratores, theologi et canonistæ  
Concilii, Maj. Sem. Rhedon. Directores, et capellani RR.  
Episcoporum.

Recitatis precibus præscriptis et consuetis, RR. Archiepis-  
copus dixit se antea scripsisse ad Summum Pontificem de  
celebranda Synodo Rhedonensi, mediante Nuntio Apostolico

Parisiis degente, et pridie accepisse litteras a prædicto  
Nuntio quibus renuntiat Papam Pium IX benigne audivisse  
de Concilio Provinciæ Turonensis, et apostolicam benedic-  
tionem impertivisse cunctis supralaudato Concilio adstantibus.

Quamvis in usu non sit decretum jam in congregatione  
generali propositum, de novo proferre, attamen decretum de  
Synodo diœcesana utpote majoris momenti rursus legitur  
et discutitur sub sequenti titulo: *De Synodo diœcesana et de  
exercitiis spiritualibus.*

Deinde RR. Metropolitanus sex decreta proponit quæ sic  
inscribuntur:

- 1° De Capitulis cathedralibus;
- 2° De Scriptoribus in rebus ecclesiasticis nimiam auctori-  
tatem usurpantibus;
- 3° Contra fictitium *Misericordiæ opus*;
- 4° De habitu clericali et tonsura;
- 5° De Communione pascali (quoad locum);
- 6° De piis sodalitatibus et confraternitatibus.

Omnes de aperienda sententia singulatim invitantur, juxta  
formam præscriptam; et post deliberationem diu agitatam,  
finem habuit congregatio generalis quarta.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DECIMA QUARTA.

Anno 1849, die vero XXI nov., habita hora quinta vesper-  
tina, in ædibus Maj. Semin. Rhedon., a RR. Archiepiscopo  
congregatio privata decima quarta, cui interfuere omnes RR.  
Episcopi, Patres Concilii.

Actum est de diversis quæstionibus in medium prolatis in  
congregatione generali præcedenti, et finem habuit congre-  
gatio privata decima quarta.

## CONGREGATIO PRIVATA DECIMA QUINTA.

Anno 1849, die vero xxii nov., habita est hora nona matutina et hora tertia pomeridiana, a RR. Archiepiscopo, congregatio privata decima quinta, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Quædam emendantur et adduntur decreto *de habitu et tonsura clericali*, quod admittitur, similiterque de decreto *circa prædicationem verbi divini*.

Proponitur decretum *de personis apud Clericos commorantibus*, etc., etc., quod RR. Archiepiscopus retinet corrigendum et in formam contractiorem condendum.

Legitur et discutitur decretum *de instituendis novis congregationibus religiosis; de votis, clausura et monialium confessariis, in præsentî rerum statu*.

Huncque finem habuit congreg. privata decima quinta.

## CONGREGATIO PRIVATA DECIMA SEXTA.

Anno 1849, die vero xxiii nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio privata decima sexta, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Proponuntur et approbantur decreta quæ inscribuntur *de studiis ecclesiasticis et præsertim de seminariis, de sollicitudine pastoralî erga infirmos, tandemque de congregationibus religiosis*.

Huncque finem habuit congreg. privata decima sexta.

## CONGREGATIO GENERALIS QUINTA.

Anno Dom. 1849, die vero xxiii nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archie-

piscono, congregatio generalis quinta, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii, excepto DD. Episcopo Ceno-  
manensi, levi infirmitate detento; R. Abbates monasteriorum, procuratores Capitulorum, theologi et canonistæ Concilii, Maj. Sem. Rhedon. Directores et Capellani RR. Episcoporum.

Postquam recitavit preces consuetas, RR. Metropolitanus examinanda proponit decreta quatuor, quæ sic inscribuntur:

- 1<sup>o</sup> De parochis, cæterisque presbyteris;
- 2<sup>o</sup> De residentia;
- 3<sup>o</sup> De novis congregationibus et de domibus religiosis;
- 4<sup>o</sup> De sollicitudine pastoralî erga infirmos.

Omnes et singuli de aperienda sententia nominatim invitantur, et post deliberationem, RR. Metropolitanus denuntiat secundam Concilii sessionem crastina die celebrandam esse in sacello Maj. Sem. Rhedon. Huncque finem habuit congregatio generalis quinta.

## CONGREGATIO PRIVATA DECIMA SEPTIMA.

Anno 1849, die vero xxiii nov., habita est hora sexta vespertina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio privata decima septima, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

A Patribus solvuntur omnes exortæ quæstiones in congregatione generali antecedenti. Huncque finem habuit congregatio privata decima septima.

## SECUNDA SESSIO.

Anno Domini 1849, die vero xxiv nov., quæ erat in die sabbati, habita est secunda sessio Concilii Provinciæ Turonensis, in sacello Maj. Sem. Rhedon., ea forma quæ sequitur.

Hora octava matutina omnes Episcopi, Patres Concilii, convenerunt in loco designato intra claustra majoris seminarii Rhedonensis, nempe RR. Archiepiscopus Turonensis, RR. Episcopi, scilicet Venetensis, Genomanensis, Corisopitensis, Briocensis, Rhedonensis, Andegavensis et Namnetensis.

Adfuerunt insuper Capitulum et Canonici ecclesiæ Cathedralis, R. Abbates monasteriorum de Portu Salutis, de Solesmis et de Mellareio; una cum Capitulorum deputatis, theologis et canonistis. Accesserunt omnes ornamentis induti, ut in prima sessione Concilii fuerat statutum.

His ita comparatis, ad sacellum Maj. Sem. Rhedon., processerunt omnes ordinatim, litanias Sanctorum cantantes. RR. Archiepiscopus ad altare introivit, missam celebraturus. RR. Episcopi sederunt hinc et inde in faldistoriis sibi paratis, cæterique in ordine præstituto pro sessione prima.

RR. Metropolitanus missam submissa voce celebravit; benedictionem tantummodo sub fine missæ decantavit. Tunc ornamentis celebrantis depositis, stolæ reservatæ cappam superinduxit, mitra ornans caput, pedumque episcopale manu gestans. RR. Episcopi omnes pluvialibus induti, mitram capiti

imposuerunt, pedum pastorale manu tenentes. RR. Archiepiscopus ad medium altare accessit, dum cantantur antiphona aliaque preces in cæremoniali præscriptæ. Quibus solemniter cantatis, steterunt omnes, et RR. Archiepiscopus recitavit orationes quæ sic incipiunt: « Nostrorum tibi, Domine, genua curvantes, etc. »; « Mentibus nostris, quæsumus, Domine, etc. »; « Deus, qui nos justitiam, etc. »

Quibus peractis, diaconus ad RR. Metropolitanum advenit solitam benedictionem accepturus, perrexitque ad pulpitem recitaturus Evangelium secundum Lucam, cap. x: « Designavit Dominus et alios septuaginta duos, etc. », iisdem observatis ritibus, qui in prima sessione descripti sunt.

Postea cantatus est hymnus: « Veni, Creator Spiritus, etc. » Quo finito, resumptis mitris, consedere Patres in faldistoriis. Unus e Concilii secretariis, cum apparatu solemnem, e manibus RR. Archiepiscopi accepit decreta Concilii promulganda, videlicet:

- 1º De divina constitutione Ecclesiæ;
- 2º De Summo Pontifice;
- 3º De Episcopis;
- 4º De Metropolitano;
- 5º De Concilio provinciali;
- 6º De Synodo diœcesana;
- 7º De Capitulis cathedralibus;
- 8º De iis quæ hodiernis temporibus a scriptoribus catholicis præcavenda sunt;
- 9º De habitu clericali et tonsura;
- 10º De Sollicitudine pastorali erga infirmos;
- 11º De Parochis cæterisque Presbyteris;
- 12º De Residentia;
- 13º De novis Congregationibus et de domorum religiosarum erectione;
- 14º Contra fictitium *Misericordiæ opus*;
- 15º De piis sodalitatibus et confraternitatibus.



Decretum denique quo tertia sessio Concilii ad diem xxvii mensis nov. celebranda indicitur.

Decreta illa omnia a secretario e suggestu alta voce recitata fuerunt, et approbata a Patribus, iisdem ritibus servatis ac in sessione prima. Postremo RR. Archiepiscopus toti cœtui ac populo solemniter benedixit. Huncque finem habuit sessio secunda Concilii Provinciæ Turonensis.

Processionaliter abierunt RR. Archiepiscopus et Episcopi, mitra et cappis induti, ac tota Synodus, eodem quo ad sacellum accesserant ordine.

Presbyteri virique laici quam plurimi in sacello aderant.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DECIMA OCTAVA.

Anno 1849, die vero xxiv nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Semin. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio privata decima octava, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Legitur, discutitur et approbatur decretum *de studiis ecclesiasticis*. De diversis quoque quæstionibus deliberationem prosecuti sunt Patres. Huncque finem habuit congregatio privata decima octava.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA DECIMA NONA.

Anno 1849, die vero xxv nov., habita est hora nona matutina et hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo congregatio privata decima nona, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

De plurimis quæstionibus ad Concilium spectantibus diu matureque deliberati sunt Patres.

Quædam, denique, in cæremoniali Episcoporum explanantur vel ad memoriam revocantur :

1<sup>o</sup> Episcopi semper rochetum deferunt subtus albam, quando missam sunt celebraturi ;

2<sup>o</sup> Rochetus acu pictus, Episcopis reservatur ;

3<sup>o</sup> In visitandis publice principibus, ducibus et magistratibus, Episcopi gestabunt palliolum ;

4<sup>o</sup> In missis privatis Episcopi ornamenta induunt in inferiori parte altaris ;

5<sup>o</sup> Ornamenta semper in medio altari reponi debent ;

6<sup>o</sup> Exposito SS. Sacramento, Episcopus vestimentis sacerdotalibus induitur intra sacrarium ; si illud fieri nequit, velum ante SS. Sacramentum ponitur ;

7<sup>o</sup> Episcopus non debet in pontificalibus missam celebrare coram exposito SS. Sacramento (excepto festo Corporis Domini) ;

8<sup>o</sup> SS. Sacramentum non exponitur diebus festorum patronorum ;

9<sup>o</sup> Osculantur ornamenta quæ signum crucis habent impressum, exceptis ornamentis nigri coloris. Non osculantur ornamenta coram SS. Sacramento exposito ;

10<sup>o</sup> Crux pectoralis ante stolam sumitur ;

11<sup>o</sup> Decet Episcopos a Clerico ornamentis indui, qui ad altare ministrabit ;

12<sup>o</sup> Offeruntur Episcopo duo panes ad oblationem, in officio solemnium tantum ;

13<sup>o</sup> Episcopus benedicit manu extensa ;

14<sup>o</sup> Non defertur pedum pastorale coram Episcopo, si illo uti opus non sit.

Huncque finem habuit congregatio privata decima nona.

---

#### CONGREGATIO PRIVATA VIGESIMA.

Anno 1849, die vero xxvi nov., habita est hora nona matutina, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo

congregatio privata vigesima, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Quaedam ordinantur a Patribus pro celebranda sessione quæ erit in absolvenda Synodo. — Omnes civitatis Rhedon. campanæ pridie pulsabuntur, sicque in die ultimæ sessionis celebrandæ. — Hora septima cum dimidia, ex ædibus seminarii totus Concilii cœtus processionaliter ad ecclesiam cathedralem procedet. — Non erit communio generalis intramissam. — Una tantum vice dabitur pax, in fine scilicet Concilii. — Processionaliter omnes ad episcopale palatium regredientur.

A Patribus approbatur decretum *de vigilantia pastoralis circa quædam hujus temporis pericula*, et decretum *de scriptoribus*; item, decretum *de foro episcopali*.

RR. Episcopus Cenomanensis legit litteras ad Summum Pontificem scriptas, quibus petitur ut addantur in præfatione B. Mariæ Virginis illa verba: « *Et te in conceptione immaculata*, » et in litanis quæ dicuntur Loretanis, post invocationem *Regina sanctorum omnium*, hæc verba: « *Regina sine labe originali concepta*. » Illæ litteræ ab omnibus Patribus subscribuntur.

Huncque finem habuit congregatio privata vigesima.

#### CONGREGATIO GENERALIS SEXTA.

Anno Dom. 1849, die vero xxvi nov., habita est hora tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo, congregatio generalis sexta, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii; R. Abbates monasteriorum, procuratores Capitulorum, theologi et canonistæ Concilii; Maj. Sem. Rhedon. Directores et Capellani RR. Episcoporum.

Recitatis precibus consuetis, RR. Archiepiscopus legit decreta quæ sic inscribuntur:

1° De moribus et conversatione clericorum;

2° De studiis ecclesiasticis et præsertim de seminariis;

3° De prædicatione verbi divini;

4° De pueris catechizandis;

5° Circa confessionem;

6° De vigilantia pastoralis circa quædam hujus temporis pericula;

7° De iis quæ ab hodiernis scriptoribus præcavenda sunt;

8° De foro episcopali.

Omnes et singuli ordinatim de decretis propositis, juxta formam præscriptam, sententiam suam aperiunt; postremo RR. Archiepiscopus annuntiat crastina die tertiam concilii sessionem esse celebrandam, eodem ritu et apparatu ac in sessione secunda.

Huncque finem habuit congregatio generalis sexta.

#### CONGREGATIO PRIVATA VIGESIMA PRIMA.

Anno 1849, die vero xxvi nov., hora sexta vespertina habita est in ædibus Maj. Sem. Rhedon., a RR. Archiepiscopo congregatio privata vigesima prima, cui interfuere omnes RR. Episcopi, Patres Concilii.

Emendantur quædam decreta in congregatione generali proposita; deinde disseruerunt Patres de plurimis aliis ad Concilium pertinentibus. Huncque finem habuit congregatio privata vigesima prima.

## SESSIO TERTIA.

Anno Dom. 1849, die vero xxvii nov., quæ erat in feria tertia, habita est tertia sessio Concilii Provinciæ Turonensis, in sacello Maj. Sem. Rhedon., ea forma quæ supra descripta fuit pro sessione secunda.

Interfuerunt omnes RR. Episcopi, Patres Concilii, RR. scilicet Archiepiscopus Turonensis, RR. Episcopi Venetensis, Cenomanensis, Corisopitensis, Briocensis, Rhedonensis, Andegavensis et Nannetensis; Capitulum et Canonici Rhedonenses, R. monasteriorum Abbates, de Portu Salutis scilicet, de Solesmis et de Mellareio; procuratores Capitulorum, theologi et canonistæ Concilii.

Unus e secretariis, postquam præscriptæ preces fuerunt decantatæ vel recitatæ, reverenter accepit decreta promulganda e manibus RR. Metropolitanorum.

E suggestu recitata fuerunt decreta sex quæ sic inscribuntur :

- 1° Circa confessionem;
- 2° De moribus et conversatione Clericorum;
- 3° De prædicatione verbi divini;
- 4° De pueris catechizandis et ad primam communionem admittendis;
- 5° De vigilantia pastorali circa quædam hujus temporis pericula;
- 6° De foro episcopali.

Decretum denique quo quarta sessio in absolvendo Concilio ad diem xxviii celebranda indicitur.

Decreta illa omnia a Patribus fuerunt solemniter approbata.

Postremo RR. Archiepiscopus benedictionem decantavit, huncque finem habuit sessio tertia Concilii Rhedonensis.

## CONGREGATIO PRIVATA VIGESIMA SECUNDA.

Anno 1849, die vero xxvii nov., habita est hora undecima matutina et tertia pomeridiana, in ædibus Maj. Sem. Rhedon. a RR. Archiepiscopo, congregatio privata vigesima secunda, cui interfuere omnes Episcopi, Patres Concilii.

A Patribus statuitur quonam titulo generali inscribentur decreta Concilii Rhedonensis.

Omnes Concilii Patres sic subscribentur decretis : « Ego N., Episcopus N., definiens subscripsi. »

Legitur decretum de Conceptione immaculata B. Mariæ Virginis quod gratanter et unanimitate corde a Patribus laudatur, approbatur et admittitur.

A Patribus nominantur testes synodales :

1° Pro diœcesi Turonensi, D. Bruchet, canonicus archipresbyter Ecclesiæ Metropolitanæ, et D. Alleron, canonicus honorarius, parochus ecclesiæ B. Mariæ Divitis, in civitate Turonica;

2° Pro diœcesi Venetensi, D. Ruaut, can. hon., parochus ecclesiæ vulgo *de Baud*, et D. Mainguy, can. hon., parochus ecclesiæ vulgo *Josselin*;

3° Pro diœcesi Cenomanensi, D. Arcanger, canon. hon., parochus ecclesiæ B. Mariæ in civitate Meduana, et D. Goumnauld, can. hon., parochus ecclesiæ vulgo *La Flèche*;

4° Pro diœcesi Corisopitensi, D. Durand, can. hon., parochus ecclesiæ vulgo *Châteaulin*, et D. Pouliquen, can. hon., parochus ecclesiæ S. Pauli Leonensis;

5° Pro diœcesi Briocensi, D. Brajeul, can. hon., parochus ecclesiæ S. Salvatoris in civitate vulgo *Dinan*, et D. Durand, can. hon., parochus ecclesiæ Trecorensis;

6° Pro diœcesi Rhedonensi, D. Gaudin, can. hon., parochus ecclesiæ vulgo *Montfort*, et D. Chévrier, can. hon., parochus ecclesiæ Dolensis;

7° Pro diœcesi Andegavensi, D. Fourmy, parochus ecclesiæ S. Petri de Salmurio, et D. Baranger, parochus ecclesiæ vulgo *Beaugé*;

8° Pro diœcesi Nannetensi, D. Audrein, archipresbyter ecclesiæ cathedralis, et D. Chiron, parochus S. Petri in Retz.

Concilium proxime celebrandum in Provincia Turonensi habebitur in civitate Turonica et aperietur mense septembri anni 1852.

Huncque finem habuit congregatio privata vigesima secunda.

#### CONGREGATIO GENERALIS SEPTIMA.

Anno Dom. 1849, die vero xxvii nov., habita est hora quinta vespertina in ædibus Maj. Semin. Rhedon., a RR. Archiepiscopo congregatio generalis septima, cui interfuere omnes Episcopi, Patres Concilii; R. Abbates monasteriorum; Capitulorum procuratores; theologi et canonistæ Concilii; Maj. Sem. Rhedon. directores et capellani RR. Episcoporum.

Recitatis consuetis precibus, RR. Metropolitanus proponit decreta quæ sic inscribuntur:

1° Contra quosdam hujus temporis errores fundamenta religionis et societatis subvertentes;

2° De immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis.

Illud autem decretum concordibus animis et vocibus, cum plausu, per modum acclamationis admittitur.

Postremo RR. Archiepiscopus orationem habuit qua congregationi septimæ et ultimæ finem imposuit.

Antequam autem omnes exirent, RR. Episcopus Venetensis, nomine communi, obtulit librum Evangeliorum, typographia et ornamentis pictis insignem, RR. Archiepiscopo Turonensi, Concilii Præsidi, eum allocutus verbis reverentia, affectu, gratitudine, gaudio digne refertis, unanimi omnium plausu.

## QUARTA SESSIO.

Anno Domini 1849, die vero xxviii nov., quæ fuit in feria iv, habita est quarta et ultima sessio Concilii provinciæ Turonensis, in ecclesia cathedrali Rhedon., ut sequitur.

Hora septima cum dimidia matutina, RR. Episcopi, Patres Concilii, cæterique omnes de Concilio, in Maj. Sem. Rhedon. congregati sunt, una cum Capitulo et Canonicis Rhedonensibus, unde processionaliter ad ecclesiam cathedralem progressi sunt eo vestium apparatu, eoque procedendi ordine qui præscriptus fuerat in congregatione generali prima et servatus fuit in prima sessione solemnî.

RR. Archiepiscopus pontificaliter missam celebravit cum maximo apparatu coram ingenti tum Cleri tum populorum multitudine circumfusa. Intra missarum solemnîa RR. Episcopus Rhedonensis sermonem gallico idiomate ad populum habuit, cujus præcipua capita, hic per modum analysis, attinguntur.

Et primum invocavit textum Actuum Apostolorum : « Con-  
venerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc .. Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, etc. » (Cap. xv. vers. 6-28.)

« Inter omnia quibus ulitur Ecclesia, nulla reperire est media aptiora, ad salvandas animas, easque christiana pietate imbuendas virtutibusque informandas, quam Concilia. Spiritus enim Dei, qui mirabiliter in cordibus operatur, ipse

